6
8-d

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 M B
50

x Bibliotheca
jori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-6-76

6 — 8 d 31

Digitized by Google

THOMÆ RVGERII
ARRETINI
DE ARTE ORATORIA
INSTITVTIO

AD ILLVSTRISS. ET AMPLISS.

SENATOREM

FERRANTEM
CAPPONIVM

SERENISSIMI MAGNI DVCIS ETRVRIÆ
VIGILANTISS. AC SOLERTISS. AVDITOREM.
Bonorum Litteratorumq; Patronum &c.

Nunc ſecundo ab Authore illuſtrata.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Donatomi dall'Autore
1625 — 26



PRVS IÆ, Apud Zecchinum. *Sup. permiſſu. 1682.*



Digitized by Google

Digitized by Google

DE RHETORICA

PER THOMAM RVGERIVM COMPOSITA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

GASPARI GVAZZESII, EQVITIS LAVRENTII FILII

Ad Lectorem Epigramma.

ARida concurſu excuſſerunt ſemina nubes,
  Queis Euro eliſis ignea rima micat.
Iuppiter Aeoliũ increpuit modo fulgur hiulcũ,
  Aetheris impulſi dira ſtrepente ſono.
Emicuit nox atra repente fragore; coactis
  Cœdem formidant ignibus Oeta, & Athos.
Mox obliqua cadẽs perſtringit lumina fulmen,
  Omnem perrumpit materiam, atque ferit.
Terra ſuos habet æqua Ioues, ſua fulmina tra-
  Mortales, & adhuc liberiora vibrant (ctant
Pectora fulmineo penetrat velocius ictu.
  Eloquio armati lingua diſerta viri.
Si, quam Rugerius tradit, perceperis artem,
  Inuicto poteris vel Ioue digna loqui.
Neſtoreo immo etiã mẽtes, animoſque feroces.
  Ore magis feries, quam ferit ille manu.

Ioannes

Digitized by Google

Ioannes Aud. lib. 3. epig. 66. In ſcriptores ſui ſeculi

Carpimus extremas voces, & verba priorum,
Priſcorum, qui nunc ſcribimus, echo ſumus.

Franciſcus Petrarcha lib. 10 ep. 5. Geraldo Monacho Cartuſiano

NE quidem ſemper correctos ad vnguem codices expectes. Non calcem temperat architectus; non gladios acuit dux belli; non magiſter nauis malum dedolat, aut remos: non tabulas Apelles, non ebur Polycletus, non Phidias marmora ſecabat. Sic apud nos alij membranas radunt, alij libros ſcribunt, alij cudunt. Itaque ſic habe, ſæpe vt agros diuitum, ſic libros doctorum hominum incultiores eſſe. De libro autem hoc quid ſperes ipſa te libri facies monet.

RHETO.

ILLVSTRISS. ET AMPLISS.

SENATORI
FERRANTI
CAPPONIO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SERENISSIMI MAGNI DVCIS AVDITORI VIGILANTISSIMO

Eloquentia ingeniorum Imperatrix Sal. & Fel.

R*Egio digna conſpectu, ingeniorum Imperatrix adſum Eloquentia, quæ in virorum mentibus locaui ſolium, animos in ciues elegi; quotquot aulici ſe mihi mãciparunt, reges ſunt, & heroes. Artes, diſciplinæ, facultates, atque ſcientiæ voluntati meæ famulantur; poteſtatique flexanimæ vis nulla valet obſiſtere. Homines aliquando effæminatos mando expugnari?* **expugnantur.** *Feros, & agreſtes volo mitigari?* **mitigantur.** *Immanium, barbarorumque naturam iubeo torqueri?* **torquetur.** *Genios præcipio immutari, ingenia remoueri, & in quamlibet partem conuerti?* **immutantur, remouentur, con-**

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

RHETORICA

Vnde dicatur, & quid ſit

ARS Oratoria græcorum vſurpato vocabulo Rhetorica dicta eſt, vnde Rhetor, ſiue Orator. Rhetorica eſt ars benedicendi de omnibus rebus ad perſuadendum. Ars eſt collectio præceptorum. Benedicere eſt lectiſſimis verbis, optimiſque ſententijs diſpoſitè dicere.

De generibus orationum.

TRia ſunt genera orationum Demonſtratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale. Demonſtratiui partes ſunt laudatio, & vituperatio: Deliberatiui Suaſio, & diſſuaſio. Iudicialis accuſatio, & defenſio. Sed in vnoquoque genere tria ſpectanda ſunt, Tempus Finis, & Motus.

 In

In demonſtratiuo habetur ratio præſentis temporis, aut quaſi præſentis; eius finis eſt honeſtas: mouendi ſunt auditores vel ad virtutis admirationem, vel ad vitij deteſtationem. In deliberatiuo ſpectatur tempus futurum: finis eſt vtilitas: mouendi ſunt conſultores ad ſpem, aut reformidationem. In iudiciali ſpectatur tempus præteritum: finis eſt æquitas: mouendus eſt iudex vel ad clementiam, vel ad iuſtitiam.

Rara tamen eſt oratio, quæ tota in vno genere conficiatur; itaque plurimę mixtę dici poſſunt, nam & in iudicijs laudamus, in deliberationibus accuſamus, & in ipſis laudationibus occurrit aliquod, aut redarguendum, aut defendendum. Sed in quibuſque orationum generibus animaduertendus ſcopus eſt, atque conſilium oratoris vltimum, ad quod cetera referuntur e. g. Cicero pro lege Manilia, quamquam in Pompei laudibus totus verſetur; tamen quia controuerſia eſt, De Imperatore deligendo, & Pompeius ideo laudatur, vt iudicetur idoneus ad id bellum adminiſtrandum, oratio deliberatiui eſt generis. Sic vbi Archiam defendit ab eorum calumnijs, qui eum ciuem Romanum eſſe negabant, iudicialis eſt oratio, licet multa tamen de poeticæ laudibus interiecta contineat. Illa denique, quæ Cæſari gratias agit pro reſtituto Marcello ad genus demonſtratiuum eſt referenda, quanquam inter agendum redarguit

ea,

ea, quæ Cæſar obiecerat de ſuo periculo, quæ particula per ſe ſumpta ad genus iudiciale referri deberet.

De Partibus Rhetoricæ.

SVnt quinque Rhetoricæ partes. Inuentio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, & Pronunciatio. Oportet enim prius inuenire, deinde inuenta diſponere, mox verbis ornare, poſtea mandare memoriæ, tandem agere.

De Inuentione.

ANte omnia ſcopum orationis inuenire debet orator, ad quem in omnibus collimet, Ex materijs igitur occurrentibus ea ſemper eſt eligenda, quæ apta eſt tempori, vtilis, ſelecta.

In exornatiuo genere inuenienda materia grauis, magnifica, plauſibilis. Quare cum Virgilius Culicem, Catullus paſſerem, Pſittacum, Statius, Maioragius Lutum, Ouum Puteanus, Ebrietatem alius, alius pediculum, & pulicem, exercitij gratia arbitramur feciſſe. Ceterum ſi quis talia ſerio ageret, apud prudentes riſum, & puerilitatis notam incurreret.

In deliberatiuo, & iudiciali talis ratio accipienda eſt, qualem neceſſitas requirit, & auditorum capacitas exigit.

Inuentio pulcra quidem prouenit ab ingenioſa natura, ea tamen, quæ eruditione non careat: nam eruditio parens eſt, & nutrix inuentionis; quapropter ſi facile, & bene inuenire quis velit, ſciat hiſtorias gentium, conſuetudines, fabulas, apologos, ſententias, hieroglyphica, apophthegmata; nam ex his non difficulter aliquid, quod in rem faciat, eruere poterit. Sed quia in capite de Propoſitione latius hæc agenda ſunt, locos vniuſcuiuſque generis proprios indicabimus, vnde oratori argumenta ad Laudationes, ad Conſultationes, ad Iudicia ſuppeditantur.

De Iudiciali.

AD Iudiciale genus pertinent, Accuſationes, Defenſiones, Delationes, Expoſtulationes Inuectiuæ Apologiæ, Expurgationes, obteſtationes, quorum omnium finis eſt Aequitas, quæ propoſitiones, vt apud Auditores fidem habeant, ſtabiliendæ ſunt argumentis, Eſt autem argumentum Probabile inuentum ad faciendam fidem, nempe Cauſa eſt, qua orator ſuam propoſitionem veram eſſe ſuadet.

Argumenta quærenda ſunt in locis, qui quidem ſunt duplices, *Intrinſeci, & extrinſeci. Intrinſeci* vocantur, quod in re propoſita lateant;

Extrin.

rinſeci vero ſeu *aſſumpti* dicuntur, quod
:a rem ſint, & ab extra aſſumantur,

De Locis intrinſecis.

Oci intrinſeci ſunt Sexdecim, Definitio,
Enumeratio partium, Notatio, Coniu-
1, Genus, Forma, Similitudo, Diſſimilitudo,
ıtraria, Repugnantia, Antecedentia, Con-
ıentia, Adiuncta, Cauſa, Effecta, Compa-
o.

Definitio eſt oratio, quæ naturam illius rei,
: definitur, explicat. Duas habet partes,
ıpe genus, & differentiam. Genus eſt ali-
›d commune non tantum ipſi rei, quæ defi-
ır, ſed etiam alijs multis. Differentia eſt par-
lare aliquid, quod ſoli rei, quæ definitur,
uenit e. g. *Homo eſt animal ratione prædictum*
mo res eſt, quæ definitur: *Animal* eſt eius
nitionis genus, quia non tantum homini,
etiam equo, leoni, ceteriſque conuenit ani-
ıtibus. *Ratione prædictum* eſt differentia, quia
rationis proprius eſt ſolius hominis. Vo-
es argumenta formare, ad probandum e. g.
›d Rhetorica ſit artium præclariſsima, ratio-
ı de promemus, quod ſit ars benedicendi,
modo. Ars benedicendi eſt artium præcla-
ma, ſed Rhetorica eſt ars benedicendi, ita
Rhetorica erit artium præclariſsima. Hanc

oratores per rem ſimilem ornatius, & liberius tractant vt Homo eſt fortunæ luſus eſt inconſtã-tiæ imago, eſt vmbra tenuis, eſt viua mors, eſt denique pila, qua ludit Fortuna.

Enumeratio partium eſt alicuius rei in ſuas partes diuiſio, vt ſi diuidamus humanam vitam in pueritiam, adoleſcentiam, virilem ætatem, ſenectutem, quæ diuiſæ partes pro omni eo ſumuntur, quod ſub generali, ſeu toto continetur, & ſic per enumerationem probare poſſemus per Singulas Ciuitates mundum interire. Iacent Thebæ, obijt Corinthus, Athenæ ceciderunt, occidit Troia, Lacedemo extincta eſt ſuaque ceteris Ciuitatibus ſunt funera, ergo vniuerſus terrarum orbis occidit.

Quæ a græcis *Ethymologia*, a latinis vocatur notatio, ſiue deductio nominis, eſt oratio, quę verborum originem, & ſignificationem explorat, vt Senatus a ſenibus, Conſul a conſulendo, Conſtantinus a conſtantia. *Arg.* Ciceronem verum fuiſſe conſulem. Ille verus eſt conſul, qui ſaluti patrię conſulit, atqui Cicero conſuluit patriæ ſaluti, itaque verus conſul fuit.

Coniugata ſunt ea, quæ ab vno orta vocabulo, varie commutantur, & a grammaticis primitiua, & deriuatiua nuncupantur, vt Pudicitia, à qua pudor, pudicus, pudice, pudere *Arg.* Qui pudice nõ viuit, pudicus dicẽdus nõ eſt, at qui Verres pudice non vixit, ergo pudicus nõ eſt dicẽdus.

Nomen

Nomen *generis*, *& formæ*, ſeu ſpeciei, non ſu-
iliter vſurpamus, vt philoſophi, ſed late ad
pularem ſermonem accommodamus, vt ge-
us dicatur quodcumque ſibi res ſubiectas ha-
et, & eſt quoddam totum plures continens
artes, vt Virtus genus eſt, quia complectitur
udentiam, iuſtitiam, fortitudinem, tempe-
ntiam, quæ ſunt eius partes inter ſe ſimiles,
uòd earum quælibet ſit virtus; differentes ta-
en, quia earum natura diuerſa eſt. *Arg.* Vir-
tem colit, igitur & temperantiam: amat Ita-
s, ergo & latinos.

Forma, ſeu ſpecies eſt pars generis ſubiecta,
g. Flos genus eſt, ſpecies ſunt roſa, lilium,
ola. *Arg.* Ineſt in Alexandro fortitudo, ergo
virtus.

Similitudo eſt rerum differentium ſimilis qua-
as quę licet non ſint idem ſecum, interea tamē
abēt aliquid, in quo conueniant, e.g. Vmbra, &
oria diuerſiſsima ſunt; in hoc tamen conue-
unt, quòd vmbra corpus, gloria virtutem co-
itetur. Partes ſimilitudinis ligantur his parti-
ılis; Vt, ita; vti, ſic; quemadmodum, parti
tione; ſic, non aliter. Poteſt duci ſimilitudo
 factis, dictis, fabulis, & nulla fere res eſt, ex
ua duci non poſsit. e. g. Vt quidam graui af-
cti morbo, cibi ſuauitatem non ſentiunt, ita
cinoroſi homines veræ laudis guſtum non ha-
nt. Aliquando ſimpliciter omiſsis particulis

ponitur ſic. Valet homo? & leones. Habet motum voluntarium? & beſtiæ, & vermes.

Diſſimilitudo ſiue differentia eſt rerum differentium diſsimilis qualitas, e. g. Si belluarum non eſt futura prouidere, quia belluæ ſunt; hominum erit proſpicere futurum tempus, quia homines ſunt. Tot incommoda ſcelerati perferunt, vt male agant; & tu nihil tolerare vis, vt ſanctè viuas?

Contraria ea ſunt, quæ non poſſunt eidem rei ſimul conuenire propter eandem rationem; vnde non poteſt aliquis in eadem re ſapiens eſſe, in qua inſipiens eſt. Horum quatuor aſſignantur genera. 1. Aduerſa, quę inter ſe maxime diſtant, vt Virtus, & Vitium. 2. Priuantia, quæ ſunt habitus, & eius priuatio, vt vita, & mors. 3. Relata, quæ inter ſe conferuntur, vt Dux, & miles. 4. Negantia, quorum vnum negat aliud, vt pius, & impius. *Arg.* 1. Vitium fœdiſſimum, igitur Virtus pulcherrima. 2. Mortem timet, ergo amat vitam. 3. Dux eſt, ergo habet milites 4. Modeſtus eſt, cur igitur immodeſtum appellas?

Repugnantia ſunt ea, in quibus vnum contrarium ponitur, & alterius contrarij effectus: vt amare, & nocere. nam nocere ex odio profluit, odium vero contrarium amori eſt. *Arg.* Amauit Lucium, ergo non ei nocuit.

Antecedentia ſunt illa quibus poſitis, vel neceſſario,

ceſſario, vel probabiliter inferuntur conſequentia. Huius loci eſt, cum ex præuio rerum gerendarum apparatu, vel ex ijs, quæ rem iam geſtam ſubſequuta ſunt naſcitur argumentum. v. g. ortus eſt Sol, ergo dies eſt. Sol enim neceſſario diem antecedit. Vulneratus eſt in corde, ergo morietur. Vulnus enim antecedit morti.

Conſequentia ea ſunt, quę ex antecedentibus neceſſario deducuntur, *arg.* Magna cicatrix eſt, ergo plaga magna fuit. mortuus eſt ergo, in corde vulnus accepit.

Bonum *contraria* Malum.

conſequens — *Repu- gnan- tia* — *Repu- gnan- tia* — *conſequens*

Expetendum *contraria* fugiendum

Adiuncta, quæ circumſtantiæ nominantur à barbaris ſunt ea, quæ cum re, de qua agimus,

coniuncta

coniuncta ſunt, & ſuſpicionem afferre poſſunt, & minime probationem. Adiunctorum quatuor ſunt genera, Corporis, Animi, reigeſtæ, & fortunæ. 1. Corporis ſunt Pulchritudo, deformitas, robur. 2. Animi Vitia, & Virtutes. 3. Reigeſtæ locus, tempus, veſtitus, comitatus. 4. Fortunæ, diuitiæ, amicitiæ. *Arg.* 1. Fortis homo eſt, ergo non facile ſuperabitur. 2. Virtute eſt prædıtus, ergo non violabit. 3. Veſperi viſus eſt cum gladio in loco, vbi cædes facta eſt, ergo cædis illius eſt auctor. 4. Diuitijs abundat, igitur adiuuare poteſt.

Cauſa eſt quæ ſua vi efficit id, cuius cauſa eſt, vt vulnus eſt cauſa mortis, ignis ardoris, cuius quatuor aſſignantur ſpecies. 1. Efficiens. 2. materia. 3. forma. 4. finis e. g. Statuæ cauſa efficiens eſt ſtatuarius, aut artifex, qui eam elaborauit; materia eſt marmor, vel æs, ex quo ſtatua confecta eſt: forma eſt figura eius perſonæ, quam ſtatua repreſantat: finis eſt memoria, vel honor eius perſonæ, cuius gratia ſtatua expreſſa fuit. Vuulgo tria ſunt propter quæ agimus aliquid, Honeſtum, iucundum, vtile. Ad cauſas reuocat orator etiam caſum, fortunam, naturalem inſtinctum, violentiam, conſuetudinem, conſilium, affectiones animi, inſtrumentaque alia, quæ non ſolum faciunt aliquid, ſed iuuant, vt Guido Arretinus iuuit muſicen. Argumentum a fine. Homo natus

eſt

eſt ad contemplandum, non igitur ad voluptates. In Rhetorica ſimiliter ſuæ ſunt quoque cauſarum differentiæ. Efficiens enim eſt orator; materia eſt res omnis, quæ ad dicendum ſit propoſita: forma eſt benedicere: finis eſt perſuadere dicendo.

Effecta ſunt ea, quæ ex cauſis exiſtunt; & in ijs conſiderandum eſt quid ſit res, quæ vis illius, & quid efficiatur ab illa. Homo corporeus eſt, videtur, palpatur, hoc habet à materia: ratiocinatur, intelligit, & id nactus eſt a forma, nempe ab animo. Sic in Deo virtutem effectricem aſpicimus, dum tonat, fulminat, ſerenat. *Arg.* Homo palpatur, igitur corporeus eſt.

Comparatio eſt rei vnius cum altera collatio, & eſt duplex Par, & impar. Par eſt cum duo æqualia ſecum comparantur, & hæc particula *pariter* vel exprimitur, vel ſuppreſſa intelligitur. *Arg.* Beati omnes laborum tolerantia æternam ſibi gloriam pepererunt; ijſdem ergo nos *pariter* ad tantum honoris faſtigium oportet contendere. Impar collatio fit duobus modis. 1. A maiori ad minus. 2. a minori ad maius. A maiori ad minus fit cum adhibetur particula *Multo minus:* *Arg.* Si quinque legiones exercitum vincere non potuerunt; multo minus duæ potuiſſent; maior quippe difficultas eſt quinque, quam duas legiones vincere. A minori ad maius, quoties adiungitur hæc particula *Multo maius*.

Arg.

Arg. Verbera patienter tulit, multo magis verba & conuicia tuliſſet: minus eſt enim verba ferre, quam verbera.

De locis Extrinſecis.

EXtrinſeci loci ſunt ſex. Præiudicium, Fama, Tabulæ, iuſiurandum tormenta, teſtes.

Præiudicium eſt id, quod cum ſtatutum fuerit, affert iudicaturis exemplum, quod ſequantur, vt ſi oſtenderet orator id, quod contendit debere fieri; vel quia in ſimilibus cauſis, aut rebus ad eamdem cauſam pertinentibus ſimilia iudicia iam lata ſunt vel, quia illud ipſum, iudicium, quod ferri poſſit, iam eſt ab ijſdem vel ab alijs iudicibus pronuntiatum.

Fama oſtendit id, quod in quæſtionem vocatur, ex communi hominum quæſtione verum eſſe.

A tabulis demonſtratur id, de quo agitur, in publicas tabulas, aut leges, relatum eſſe, ideoque pro indubitato haberi debere.

Iure iurando oſtendimus illud, idem cuius piam iuramento eſſe confirmatum.

Tormenta demonſtrant, vt vi cruciatuum ſit expreſſa confeſsio vel a reo, vel a conſciis illius rei, quæ probanda eſt.

Con-

Confirmatur res propoſita per teſtes, ſi idipſum cuius piam teſtimonio confirmari docuerimus.

De demonſtratiuo.

AD hoc demonſtrandi genus pertinent Gratiarum actio; expoſitio hiſtorica, gratulatio, lamentatio, commemoratio beneficiorum, exprobratio, inuectiua, ſi que ſunt alia genera, quæ poſſint ad laudationem, & vituperationem attinere.

Materia laudandi quatuor capitibus continetur; aut enim qui laudatur purus eſſe poteſt ſpiritus, & corporis expers, vt Deus, Angeli.] Aut ſpiritum habet conſociatum, & corpore concluſum, vt Homo. Aut ſpiritu omnino carent, ſenſu tamen, & motu pollent, vt Bruta, animalia. Aut denique ſenſus expertia ſunt omnino, vt cæteræ res omnes a Deo creatæ vel ab hominibus artificioſæ comparatæ. Ad hæc ſingula capita reuocata laudationis materia; ab immortali Deo principia capiemus, qui nulla noſtra licet indigeat laudatione, laudabitur tamen, quia cognitione illius indigent auditores,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Deus

Deus.

VNum eſſentia, perſonis trinum eſſe Deum, credimus. Licebit igitur Oratori Deum modo vt vnum laudare, eique bonorum omnium ſummam perfectionem, & copiam attribuere: modo ſingulas perſonas ſeorſum celebrare, & religioſe, ac timide proprietates earum, quibus diſtingui ſolent explicare. De Deo patre dicemus, tanquam de fonte æterni luminis, de principio ſine principio, de antiquiſſimo, & fæcundiſſimo parente, de rerum, ac naturarum omnium affectore. Filius ante omnia tempora e patre natus, & patris ſapientia, mens, & conſilium eſt, humani generis liberator, iudex orbis, rex ſęculorum immortalis. Spiritus Sanctus eſt bonitas, qui a Patre, & Filio ab omni æternitate proceſsit, qui eſt vtriuſque ſempiternus, & inexplicabilis amor, diuinus ignis, qui hominum animos cupiditate immortali incendit. Singulæ quoque perſonæ magnificantur ab attributo illo, quod earum proprium eſt, vt

Ab Omnipotentia Pater,
A Sapientia Filius,
Ab Amore Diuinus Spiritus.

Hæc & plura ſeparatim de ſingulis perſonis dicuntur, cum interim vna ſit, & eadem omniũ poten-

otentia, ſapientia, bonitas, virtus, maieſtas, æternitas.

Quamuis infinita de Deo ſuggerantur argumenta dicendi, non idcirco exiſtimabit prudens orator: quæcumque a D.D. Aug., Hilario, Thoma, Dioniſio Areop. Damaſceno, & alijs de Trinitate, ac Deo ſubtiliſsime diſputata fuerint a ſibi ſumenda eſſe ad explicandum. Ea ſumet potius, quæ non tam abſtruſa, & ſpinoſa videbuntur, quæque ab intelligentia populari tantopere non abhorrebunt. Prudenter itaque moderabimur auditorum aures, & quod illæ reſpuunt, immutabimus, & nunquam philoſophos imitabimur, qui diſceptant de ijs, quæ ipſi ſoli intelligunt.

Quare celebremus vt ſapientiſsimum in rerum vniuerſarum procreatione, earumdemque gubernatione, vt potentiſsimum in conſeruatione. Laudabimus vt liberaliſsimum in tanta beneficiorum copia: ſiquidem commoda, quibus vtimur, lucem, qua fruimur, ſpiritum, quem ducimus ab ipſo nobis dari, atque impertiri vidimus. Prædicabimus vt clementiſsimum, maximeque miſericordem, qui humanam naturam induit noſtri cauſa, & interclusum ad cœlos aditum ſua morte nobis reſerauit, factus homo. Alia itemque plurima de Deo ſine erroris periculo narrare poterimus, vt qui ſentit, meminit, præuidet, mouet, alit, fouet, ſuſtinet

net

net omnia, nulli ſubiectus, ſingula potens, nuſquam abſens, malorum vindex, bonorum remunerator, immutabilis, quem nullus dolor attingit, nulla perturbat iracundia, nulla torquet inuidia, ipſe eſt Deus.

Angeli.

POterunt Angeli laudari a naturę ſubſtantia, & perfectione, quæ maxime omnium ad diuinam accedit. 2 A perſpicacitate intelligentiæ. 3. Ab efficacitate, & celeritate agendi. 4. A nominibus, & muneribus, quæ erga homines exercent, vt Ducis, cuſtodis, nuncij, magiſtri. 5. Ab ordinibus, quos Choros vocamus, quibus tota Angelorum familia diſcreta eſt. 6. A rebus, & prodigijs peractis in orbe terrarum humani generis cauſa. 7 A pulchritudine corporis, qua ſe videndos præbuerunt, indice formoſitatis, qua ipſorum exſtit ſpiritus. 8. A gratia tandem diuina, qua ſunt ornatiſſimi, a gloria, qua perfruuntur ſempiterna.

Homo.

DVplex laudandi hominis ratio depromitur, tum quia homo generatim, ſiue natura humana: tum quia ſingularis perſona laudatur aliqua.

Homo

Homo generatim laudatur, A Dei ſimilitu-
e, quam expreſſam inſegerit. 2. A ſimilitu-
e mundi, a qua microcoſmos, ſiue paruus mū-
; eſt appellatus. 3. Ab anima immortali, eiuſ-
e facultatibus, & dotibus, præcipue a memo-
. 4. A mente ſiue ratione. 5. A voluntate,
era, huique domina. 6. Ab ingenio: 7. Ab
petitu, ſiue facultate ſentiendi. 8. A corpo-
ſtructura mirabili, ſingulisque partibus, &
rporis inſtrumentis. 9. Ab imperio in res
nnes pro creatas. 10. A diuina gratia, cuius
t capax, & à cæleſti beatitate, cui eſt deſtinatus.
At vero Homo ſingulatim, ſiue perſona vi-
ns humana a tribus illis celeberrimis bonis e
ur, nempe Animi, corporis, & fortunæ.
Ab animi rebus laudatur homo, ſi eximio pol-
xit ingenio, ſi memoria fælici, ſi humanis vir-
tibus. Si affectibus temperatis, ſi litterarum
nore, ſi litteris ipſis inſigniter decoratus fue-
t.

Ad animi bona virtutes quoquæ Chriſtianæ
ertinent, ſiuæ diuinæ, Fides, Religio, cari-
is, & animi demiſſio. Præterea diuina gratia,
cultas edendi prodigia, ſeu miracula; vis præ-
icendi futura, & alia quæcumque dona cælitus
nimo infuſa, Et ab his capitibus viri, fæminæ-
ue ſanctiores commendari maxime ſolent.
Hinc copioſæ Virginis Deiparæ laudes celebrari
oſſunt, propter quas animi dotes meruit, vt

 mater

mater, atque virgo ſimul eſſet, & cum Deo filium communem haberet.

Inter bona corporis recenſetur forma, & pulchritudo, lineamenta enim corporis plerunque ſequuntur indolem, animique virtutem oſtentant, a quo loco Achilles, & Agamemnon laudati fuerunt ab Homero; & a Virgilio Turnus.

Deformitas, & vitium corporis ſi ab aliquo illuſtri facto prodierit, memorabitur, dummodo formoſitate animi turpitudinem corporis is compenſauerit; Hinc Aeſopus inſigniter deformis, & inſigniter vocatur ſapiens; hinc Mutij dextera, Horatijque Coclitis in altero prælio oculi amiſſio, & Homerus, cum Tydei breuitatem corporis attigiſſet, illam bellica gloria compenſatam, ſignificauit.

Valetudo proſpera, robur, vires, agilitas membrorum, corporis pernicitas huc ſpectant.

Solent inter bona fortunæ laudari diuitiæ vel hæreditariæ, ſiue bonis artibus partæ, & liberaliter erogatæ; honores, dignitates, proſpera fortuna, diuturna felicitas, beneuolentia, amicitia, familiaritas, & huiuſmodi fauores. Inſcriptiones, columnæ, ſtatutæ, trophea, & alia gloriæ monumenta gentilitia, publico præſertim poſita conſilio, quia non niſi hominibus virtutis eximiæ conſtitui ſolent.

Nomē adauctū, additū aut immutatū ad laudationem confert. Ad auctum fuit Abram *Gen.* 12. qui

qui iubente Deo, fuit Abraham appellatus. Addi iam debet Alexandro Strozza Præſuli Arretino, qui ſæculum ferreum temperat auro, & ob largitiones in pauperes Eleemon dicendus; vt detur a Numine datus, vt calami toſiſſimam vſt bem opulentiſſimo foueat animo. Immutatum Ioſepho fuit, qui Seruator nominatus eſt poſt terram a fame liberatam.

Laudari poteſt perſona quælibet deducta ſerie temporum, nempe à rebus ijs, quæ fuerunt ante vitam, in vita, & poſt vitam illius.

Ante vitam ea ſunt, quæ præteritum tempus inſpiciunt, hinc patria laudem conferet, ſi aliquid ſingulare fuerit eidem attributum, vt funda Balearibus, oliua Athenienſibus, litteræ Lutetianis, vaſa Arretinis. Deinde ſi a ciuibus, vel ab vno aliquando ipſorum aliquod eximium geſtum fuerit; ſic America ab Americo Veſputio Florentino inuenta, & dicta eſt. Dicas arctiores Europæ limites Florentinorum virtui vltra oceanum, ſoliſque vias prorogandos fuiſſe; Dei charitatis erat eadem via fidei lucem gentibus miſeris inferre.

Maiorum gloria poſteris lumen eſt, ſi eorum nobilitati reſponſum fuerit, vt bene apud Claud. in iv. conſ. Honorij; is commendatur, qui

laudes tranſgreſſus auitas
Subdidit oceanum ſceptris, & margine cæli
Clauſit opes.

 Nemo

Nemo tamen gloriari, niſi in ſuo deberet, & meminiſſe poterimus Vliſſis ſententiæ *in 3. metam. Ouid.*

Sed genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra voco.

Auguria, prædictiones, reſponſa, viſiones, quæ futuram promiſerint claritatem laudationibus inſeruiunt, vt Vitis, quam Aſtiages lib. 1. Iuſt. vidit in ſomnijs. Canis D. Dominici. Et prodigiũ illud, quod Vliſſes Aldrouandus ex Licoſthene legit. Anno mũdi octingẽteſimo ſexageſimo octauo ſupra tria millia, Mulier Arretij ſpicas farris euomuit, & ab eiuſdẽ quoque naſo progredierunt, & eodem tempore Ptolomeus Rex Aegypti Cyrenis moriens Senatum populumque Romanum hæredem conſtituit.

Ea, quæ acciderunt in vita ad præſens pertinentia tempus per ætatis gradus, rerumque geſtarum ordinem referre, fuit aliquando ſpecioſum; & ideo poterimus ordiri a pueritia, ſi bona indole, bonis moribus, chriſtianiſque legibus fuerit inſtitutus. Ab adoleſcentia, ſi ſtudijs honeſtis occupauerit ſe, ſi propenſus ad laborem, morigerus parentibus, Bacchi, & Veneris fuerit abſtinens. A virilitate, ſi decenter publice, & priuatim ſe geſſerit, innocentes defenderit in facinoroſos animaduerterit: & in hac ætate conducet eius geſtà ſecundum quatuor virtutum genera numerare, ſi prudentiæ

acco-

accomodabimus ea, quæ ingenioſe, atque prudenter geſſerit in rebus præſentibus conſtituendis, & præuidendis futuris. Iuſtitiæ attribuemus ea, quæ generoſo fecerit animo, fides recta, paruis data venia peccatis, & pænæ grauitate magnis penſatis. Fortitudini ea, quæ libenti tolerauit animo, mens ad edenda facinora egregie animata, relegato metu. Temperantiæ denique, quæ moderate, continenterque fuerint acta, Laconica oratio, veſtitus non magni pretij, frænum praui animi moribus impoſitum. Cum autem in ſingulis ætatibus aliquid non pateat laude dignum, ſileatur, addendo ea quoque non fuiſſe diſſimilia narratis.

Horatius ad Piſones ſcripſit. *Fuit hæc ſapientia quondam oppida moliri, & leges incidere ligno.* non mirum videbitur, ſi conditoribus laudem concilient arces, & oppida, ex quibus hoſtium coercentur incurſiones; fontes, aquarum ductus, lacus, portus, per quos commeatus, & merces vehuntur ad publicam vtilitatem. Sanctas, qui ſanciuere leges omittendi minime ſunt; factæ ſunt leges enim, vt facinoroſorum reprimatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis formidato ſupplicio, impediatur nocendi facultas; ab eodemque capite religionum Patriarchæ fuerunt plerumque commendati.

Cum is, qui aliquid effecerit, id feciſſe ſolus

Digitized by Google

oſtenditur, multò maior gloria nitebit. Si ſolus Horatius Cocles pontem aduerſus Hetruſcos Romæ defendit, cuius fortitudinem admirati Dij immortales (*Val. Max. lib. 3. cap. 2. dicente*) ſinceram illi incolumitatem præſtiterunt.

Cum quis aliquid egit honorifice cum alijs paucis, aut primus fuit, & ſic a Lacedomniis mittitur ad Syracuſanos Gijlippus ſolus quidem ſed qui inſtar omnium auxiliorum erat. *Iuſt. lib. 4. circa finem.*

Si ſupra ætatem fuerit operatus, vt apud Athenienſes Iphicrates viginti annos natus mirabile Imperatoris memoratur exemplum, in quo non imperatoriæ tantum, verum etiam artes oratoriæ ſplendebant, cuius milites ob militaris rei peritiam Iphicratenſes dicebantur, vti Romani, Fabiani a Fabio.

Ducta itaque laude ab inſtitutione optima, & a toto vitæ curriculo preclare tranſacto; A morte, vel fortiter, vel pie, vel ſancte obita laudandi campus aperitur.

Ea, quæ mortem inſequuta ſunt, numerantur prodigia cæleſtia, terreſtria, honores humani, ſtatuæ erectæ, magnifica ſepulcra, funus publicum, inſcriptiones, elogia, laudationes, honores etiam diuini, diuina ſacrificia in eius honorem peracta, Beati titulus impertitus; quanta damna attulerit mors ipſius, veluti lib. 6. de

obitu

obitu Epaminondæ, cum quo vires omnes Reip. occiderunt, vt manifeſtum fuerit patriæ gloriam, & natam, & extinctam cum eo fuiſſe, Iuſtinus queſtus eſt.

Eminentiſſima virtus erit, ſi hoſtium fuerit præconia ſortitus. *Ouid.2.metam.*

Sed neque Deiphobum, nec Polydamanta, nec ipſum
Hectora laudamus, quis enim laudauerit hoſtem?

Res Sacra.

SAcræ, Deoque res conſecratæ laudantur ab inuentore, & auctore; a materia, qua cõſtant; a modo, quo peraguntur ſacramenta nonnulla; a vi potentiſſima, qua valent, a dignitate, ab vtilitate, tum temporali tum æterna; ab effectis, & alijs excellentijs vnicuique proprijs, & ſimilibus.

Animalia.

BRutorum, & animalium laudatio deducitur a pulchritudine, & ſtructura corporis, ab agilitate, a labore, a ſpecie quadam adumbrata virtutum, vt a fidelitate in homines, a prudentia, a temperantia, a clementia, a grati animi ſignificatione, a fidelitate, alijſque dotibus.

Laudantur ſingula animalia a proprijs artifi-

cijs, & dotibus peculiaribus, vt Luſcinia a diſciplina canendi; Aranea a telæ texendæ artificio; Pſittacus ab humanæ vocis imitatione; Phœnix a vitæ reparandæ facultate; Apes ab vtilitate, quam afferunt humanæ vitæ mella condendo.

Planta.

TRibus continentur capitibus plantarum laudes, nempe a genere, ab educatione, ab vtilitate. A genere laudantur, cum exponitur a quo Deorum productæ, vel cultæ fuerunt, vel cui dedicatæ, vt Oliua Palladi, Myrtus Veneri, Bacco Vitis, Laurus Apollini; & ab hoc capite laudantur etiam animalia, vt Equus, quia Marti dicatur, Aquila Ioui, Pauo Iunoni, Cycnus Appollini.

Ab educatione, exponendo quos fructus ſalubres, vel feraces gignant, cui ſint vſui ad vitam traſigendam humanam. Huc referre poterimus myſteria ſacra, quæ vt ſacræ narrant litteræ, ſæpe ſub aliquibus arboribus olim geſta fuerunt, vt de quercu Gedeonis, in lib. iudicum cap. 6. quæ arbor familiari angelorum conſortio cum hominibus inſignis fuit. Eliæ iuniperus. 3. Reg. 19. & incant. cant. Palma Cades, cedrus Libani, Cypreſſus Syon, & aliæ, quæ Deiparæ Virginis dotibus ſubſeruiunt exprimendis.

A pro

A procreatione denique, a figura, vel ſua, vel foliorum, a pulchritudine, & vmbra, & alijs ornamentis.

Hæc, quæ de maioribus plantis dicta ſunt cadere etiam poſſunt in laudationem fruticum, arbuſculorum, florum, herbarum, & graminum omnium.

Loca.

His animaduerſis facile regiones laudantur, flumina, fontes, domus, agri, montes, aliaque.

Regiones laudantur ab antiquitate, & primis cultoribus, a principibus, ab amplitudine, ſitu, amænitate, aeris clementia, ac ſalubritate; a fluminibus, lacubus, mari, vrbium frequentia fertilitate; ab animalibus, a tuto itinere, a virtute bellica, ab humanitate, & ſtudijs.

Vrbes ab antiquitate, origine, conditoribus, ſitu, munitionibus, a cæli temperie, ab amænitate, ab aquis, a domorum elegantia, vicorum multitudine, & munditie, à variarum rerum copia, a principibus, Reip. legibus, & inſtitutis, a religione, & ſcholis, a populi frequentia, ab ingenijs, & ſtudijs, a fortitudine, & vrbanitate.

Flumina laudantur ab ortu, ſcaturigine copioſa, velocitate, colore, a piſcium generibus, & multi-

multitudine, ab alijs fluuijs, quos recipiunt, a locis, quos alluunt, anatium frequentia, & alijs commoditatibus.

Domus laudantur a Domino, & ſi templa fuerint, a numine, cui dicata fuerint, ab amplitudine, a figura, materia, a ſitu, proſpectu, ab horto, a puteo, vel fonticulo, ab atrio, penetralibus, cubiculis.

In agrorum commendatione ſpectari ſolet amænitas loci, fertilitas, & vbertas frugum, & fructuum; varietas pomorum, arborum, & herbarum genera, cultura.

Montes laudantur à magnitudine, a radicibus, miraculis, & prodigijs, a rebus memorabilibus, a fontibus, a frugum vbertate.

De Deliberatiuo.

HOrtationes, admonitiones, conſolationes, commendationes, promiſſionesq́, petitiones, ad genus deliberandi pertinent. Et à ſeptem potiſſimum locis rationes ſumendæ ſunt, quibus noſtrum ſententiam, & ea, quæ ſuademus, comprobentur; nimirum ab Honeſto, vtili, neceſſario, iucundo, facili tuto, & eo, quod fieri poſſit.

Honeſtum, quod etiam laudabile dicitur illud eſt, quod propter ſe expetendum videtur, cui virtutes omnes ſubyciuntur, & ea omnia, quæ vel natura commendata ſunt, vel legibus, vel bonorum

norum exemplis. *Vtile* eſt, quod in comparatione, vel conſeruatione commodorum, aut incommodorum euitatione conſiſtit. Hęc vero commoda pertinent, vel ad corpus, vt forma, vires; vel ad animum, vt docilitas ingenij, felix memoria, bonitas naturæ, & indolis eruditio. *Neceſſarium* eſt illud, quod aliter nequit fieri, vel certe commode vitari, vt ſi dicamus, dedendam vrbem eſſe, niſi fame perire milites velint. *Iucundum* eſt illud, quod delectationem, vtilitatemque affert. *Facile*, quod nullo negocio, vel non magno: paruo, aut nullo ſumptu; nulla moleſtia, breui tempore confici poteſt. *Tutum*, in quo nihil periculi eſt. Quod fieri poteſt id dicitur, quo eſt in manu noſtra. Exempla multum ponderis habent; nam futura à præteritis certius colliguntur, & alienæ fortunæ ſucceſſu animi diſponuntur. Suadet Fabius Max. in Senatu, ne P. Scipio in Africam traiciat, vetus afferens Athenienſium exemplum, qui claſſe in Siciliam tranſmiſſa, Remp. ſuam in perpetuum afflixerunt; & nouum M. attilij, qui in ea ipſa Africa annis ante quadraginta in prælio victus, & captus eſt.

Quicquid deliberandum venit poteſt finem habere de re, quæ ſit in tempore, vt. Expedit quidem contra Annibalem pugnare, ſed minime nunc: In loco, vt Camillo cum Gallis conuenit conferere ſed non iniquo loco. In perſona,

ſona, vt licet Alexandro oceanum nauigare; ſed non tibi: in genere agendi, vt Athenienſibus pugnandum eſt contra Xerxem, ſed nauibus extructis.

Multum deinde ſcire refert, quę ſit perſona dicentis; ſuadere enim aliquid grauiſſimæ eſt perſonę. Diligenter etiam videre eſt, quid cuique ſuadeat, alia enim ratione cum nobilibus, & doctis, alia cum indoctioribus, & ignobilioribus agendum eſt.

DE DISPOSITIONE.

D*Iſpoſitio* eſt rerum inuentarum in ordinem diſtributio, quæ docet quid ſuis locis collocandum ſit. Verum quia in minoribus dicendi facultatibus exercendi ſunt, ante quam ad magnum illud Orationis opus perducantur iuuenes, de quibuſdam Aphthonianis prçexercitamentis prçcepta dabimus. Sunt autem opera minora nouem, quę per ſua orationum genera diſtribuuntur. *Deliberatiui* generis ſunt, Fabula, Chria, ſententia. *Iudicialis.* Confirmatio, Confutatio Locus Communis. *Demonſtratiui.* Laus, Vituperatio, Comparatio.

Fabula.

F*Abula* eſt ſermo fictus imagine quadam repreſentans veritatem, cuius diſpoſitio ſumitur

;ur ex animalium natura , & locis, vbi verſatur. Hinc ſi vellemus aliquem oſtendere ſuæ chritudinis amatorem, Pauo ſubiectum prę͂bit; ſi aſtutum vuulpes; ſi aliorum imitaton, Simia.

Triplex eſt Fabula, Rationalis, moralis, & xta. Rationalis eſt illa, quæ imitatur rations eorum, quæ rationis vſu prędita ſunt vt: aliquid geri ab homine confingeretur. Molis eſt, quæ imitatur rationes eorum, quę nt rationis expertia, qualis eſt; De Leo, & Vulpe. Mixta vtramque complectitur, illa; De Agricola, & Ciconia.

Strictim, & diffuſe narratur fabula: ſtrictim, ſummam cauſæ breuiter exponamus, vt facit eſopus: Diffuſe tractatur, quando capitibus, ıæ ſequuntur, conficitur. Primo. A laude uthoris. 2. A præfabulatione, ſcilicet ab adıonitione fabulæ, quæ dicitur etiam adfabutio ſi ponatur in fine. 3. A natura animalis. A ſermocinatione. 5. A Re ſimili. 6. A conario. Deinde Epilogo clauditur. Si diffuſe leſiodi fabula de Accipitre, & Luſcinia dilaında eſſet; ſic diſponeretur.

A laude. Digniſſimus honore eſt Heſiodus, ui pretioſa diuini ingenij ad hominum vtilitaem monimenta reliquit, in quibus vt gemma ıobiliſſima relucet, quam de Accipitre, & uſcinia protulit, Fabula. 2. Qua ſapienter do

cuit,

cuit, eos facere ſtulte, qui potentioribus reluctantur, certantque cum ijs, quos vincere nequeant, quod idem eſt cum cœlo pugnare. 3. Harpijs rapacior, adunco roſtro, & vnguibus in curuis natus eſt Accipiter; quo genuinæ rabiei propulſus inſtinctu innoxiam aggreditur Luſciniam, & comprehendit, 4. Fer manſuete fortunam, imbellis tunc inquiebat auicula; noli extinctam extinguere. Meam aſpice ad innocentiam: ſi miſericordia non mouet, eximia, qua nobilitor, moueat virtus, & perfectum muſices organum noli diſperdere. At ille, Nihil gemitus, nihil lacrimas curo. Quiritatio tua, te de meis non eripiet vnguibus, hæc ait, & decerpſit. 5. Animalium ferociſſimus eſt Leo, huic tamen ex feris tanta eſt in ſupplices clementia, vt in proſtratos non ſæuiat; at Accipiter vuulgi quemlibet occidit populariter. 6. Præda iuſto victori glorioſa viſa eſſet: præda, quæ venit indigne, magis dolenda eſt. *Concluſio*. Quæ crudelitas oſtendit. Ipſam innocentiam apud maleficos nunquam fore tutam.

Chria, & Sententia.

CHria eſt commemoratio breuis alicuius perſonæ factum, vel breue dictum apte referens, & diuiditur in actiuam, verbalem, & mixtam. Verbalis eſt, quæ ſolis conſiſtit in verbis,

, vt: Dixit Plato; Virtutis ramos e ſudori-
ꝛ produci. Actiua, quę ſolam actionem re-
ıſet, vt Pythagoras interrogatus, quanta
m eſſet hominum vita, mox abdens ſe tem-
ris momento finiri demonſtrauit. Mixta
'amque complectitur, habet enim actionem,
verba, vt Diogenes puerum laſciuientem
ıiciens, eius verberauit pedagogum dicens;
ır hæc doces?

Chriæ capita ſunt octo. Laudatiuum, in quo
mmatim auctorem illius facti, vel dicti com-
endamus. 2. Expoſitiuum, in quo pluribus
rbis explicamus, quod paucis auctor ille per-
'inxerat. 3. Cauſa, in quo oſtendimus id iure
ptimo dictum, factumue fuiſſe tali, vel tali ra-
ɔne. 4. Contrarium, in quo ex oppoſitis oſtē-
mus talis propoſitionis veritatem. 5. Simili-
ıdo; in qua per ſimilia idem probamus. 6.
diungimus exemplum, demonſtrantes quid
lis, aut talis in huiuſmodi oportunitate perę-
erit. 7. Accedit veterum teſtimonium, quan-
o adducimus auctoritatem alicuius, qui idem
ixerit, & ſenſerit. 8. Denique vtemur Epilo-
o, hortantes ad id faciendum, vel non facien-
um dehortantes. hoc exemplo.

Quanto ſæpius, ac frequentius Mantuani Vir-
ilij volumina repeto, tanto illum magis, &
aſpicio, & admiror, præcipue in ea ſententia
lib. x.

Stat

Stat ſua cuique dies, breue, & inreparabile tempus Omnibus eſt vita. Docere voluit ille, Annos labi fugaces, irreparabile volare tempus, dieſque breuiores paulatim fieri. 3. Quoniam mortalis homo elementorum corruptioni ſubiectus, morbos, ægritudines, obuias habet. 4. At ſi æterna eſſet hominum vita, nimia elati ſuperbia, etiam tumeſcerent in ſuperos. 5. Vt flos egreditur, & conteritur; vt vmbra fugit; ſic homo euaneſcit, & abit. 6. Et Alexander, & Cæſar cito mortui ſunt. 7. Hinc patientiſſimus ille Iob querebatur, quod Breues ſunt dies hominum, & numerus menſium eius. 8. Cum fugax igitur vita ſit, cur tanti facimus?

Sententia veteres quod animo ſenſiſſent; vocauerunt. Nos autem dicimus orationem, quæ ad mores, & ad communem hominum vitam pertinet, oſtenditque quid fiat, aut fieri oporteat. e.g.

Feras, non culpes, quod vitari non poteſt.
Nimium altercando veritas amittitur.

Tractatur iiſdem capitibus, quibus Chria, ſed loco laudandi auctorem, laudatur res ipſa per ſententiam enunciata, modo ſimili.

Confutatio, & Confirmatio.

Confutatio eſt propoſitæ rei improbatio, quæ etiam Deſtructio, & Subuerſio dicta fuit.

Hæc

c debet eſſe mediæ conditionis; 1. neque ta , neque nim.s incerta, & ſequentibus vti- capitibus.

Reprehendemus eos , qui dixerunt, ſed mo- ſte, quia inim co detrahenti non credimus ; poſitionem dein de rei ſubyciemus , tum re- tabimus. 1. Ab incerto , vel obſcuro tempo . quo hæc dicta , vel facta fuerint. 2. Ab in- edib.li , nempe id eſſe ſupra hominum fidem. Ab impoſſibili , ſeu factum non potuiſſe id. 4. b inconſequenti , ſeu contrario , quia repu- net rebus ante actis. 5. Ab indecenti , ſeu in- ecoro. 6. Ab incomodo, ſeu inutili. Epilogo de- nique conficitur. Exemplum ſit. *Vera non fuiſſe, quæ de ortu tra duntur Alexandri. Reprehenſio.*

Catone ſunt ab ipſo deferendi , qui temere quædam fabuloſa ſpargunt in vulgus, præcipue Plutarchus, qui ridicula nonnulla de Alexandri conceptu fabulatur. *Narr.* Nempe quod Draco cum Olimpiade , ex qua inde natus eſt Alexan- der inſtar amaſij coiret. 1. quod modo com- mentum adeo eſt obſcurum , vt quando geſtum eſſe potuiſſet ignoratur, 2. Quomodo creden- dum eſt tantum lumen affulſiſſe draconibus, vt muliebres contemplari formas , adamare , & conſequi poſſint? 3. Amabit ergo , regia mu- lier , quod vndique odibile ſemper contem- pſit? 4. Suum amorem tam humiliter , Regi- næ collocabunt? 5. Ex naturis adeo incongruis

 naſci

naſci non poterat Alexander; etenim inter ſerpentem, & hominem ſimilitudo nulla proſpicitur. 6. Ea ſane, de quibus nullum procedit oblectamentũ ſunt omnino repellenda. Abeant igitur in malam rem iſti rerum inutilium futiles artifices.

Confirmatio eſt propoſitæ rei comprobatio, quæ iiſdem numero, ſed ſignificatione contrarijs vtitur modis. Pro incerto, certo; pro incredibili, credibili; poſſibili, pro impoſſibili. & hęc etiam Probatio, adſtructio, demonſtratio nuncupatur.

Locus Communis.

L*Ocus* communis eſt exaggerans oratio præſentium bonorum, vel malorum, quia legibus præmium, aut ſupplicium eſt definitum. Dicitur communis, quia omnibus communiter accomodatur eiuſdem rei participantibus, & agit contra crimina, & pro virtute, nullis commemoratis perſonis. v. g. Contra patrię proditorem, contra furem, ſacrilegum, aut pro viro forti, & patriæ amantiſſimo. Quandam recipit proæmij formam, in qua breuiter explicatur oratoris intentio. Tum ab his, quæ ſequuntur capitibus, proſequemur. 1. Ex contrarijs, vt ſi de ingrato animo agatur, ſit gratus animus, 2. Ponenda narratio eſt, vt auditorem inci-

incitemus, aut exaſperemus. 3. Comparatio, qua in maius tollitur id, de quo agimus comparantes reliquis vitijs, aut virtutibus, vt ſacrilegium eſſe maius homicidio. 4. Ponenda ſententia eſt agentis intentionem exprobans, ſcilicet vt aperiamus quo animo, aut quo rationis impulſu, & quibus conſilijs quis ad huiuſmodi opus acceſserit. 5. Coniecturali digreſſione vitam præteritam in criminum, aut virtutum opinionem deuocabimus, quaſi de his, quæ olim egerit pænam, aut præmium deportare debeat, 6. Oſtendemus omnem arcendam eſſe miſericordiam, neminem enim iuſtum oportet malorum miſereri, vel e contra. Hæc denique finalia capita erunt pro concluſione. A legitimum. B. Iuſtum. C. Vtile. D. Poſſibile. E. Honeſtum. Euenturum, Idque exemplo contra Tyrannum patebit.

1. Si maiorum inſtituta repetamus, nihil magis curarunt, vt de patria mererentur, vt ab omni potentia Remp. liberarent. 2. Quorum quidem Tyrannus nihil animaduertens, conſilium iniuit, vt omne ius protereret Ciuitatis, neque finem ſceleri faciens, hominum, diuorumque iura contemnit. 3. Grauis eſt homicida ſed tyrannus multo grauior. Hic enim quem offendit, interficit; ille vero omnes ciuitatis fortunas perturbat. 4. Ceteris profecto hoc euenit hominibus, qui grauiſsima quæque perpe-

trarint, mentem malam exuere aliquando poſſint; Solus vero tyrannus non inuitus eam concepit libidinem, cum ante opera crimen animo patrarit. 5. Ceteri hominum recentibus afficiuntur criminibus, veteribus ablo uutur calumnijs. Tyrannus autem vtriuſque vitæ criminibus damnatur. 6. Quis igitur tyrannum deprecando liberabunt? A. qui iudices eſſe poteritis, ſi per leges iudicia muniatis, & longe iuſtiores eritis, ſi legibus opem ferentes, tyrannum relegabitis. A. Si enim lex eſt patriæ liberatores omni honore proſequi, nefarios ſeruitutis auctores prohibere, iuſtiſſimum eſt. B. æquum eſt, tam iuſtas dare pænas, quantum iuſtitiæ aboleuit. C. Salutaris eſt Tyranni interitus, quo leges aſſurgunt, & æqua agitantur iudicia D. Facile quidem præſens malum inhiberi poteſt, non enim ſociorum indigemus auxilio. E. Proinde ad deſtruendam tyranni potentiam iudicum ſuffragia ſat eſſe videntur.

Laus.

L*Aus* eſt expoſitio bonorum alicuius. Laudari poſſunt perſonæ. vt Thucydides, Demoſthenes. Geſta, ſiue res, vt iuſtitia, aut temperantia. Tempora, vt Ver æſtas. Locus, vt portus, pomaria. Plantæ, vt vitis, & olea. Animalia, vt Equus, & vitulus. Laudamus

etiam

etiam aut publice, vt omnes Athenienſes, priuatim, vt Athenienſium quendam. His capitibus in laudando vtemur. Exordio, quod ad cauſam accommodabimus. 2. A genere. 3. A patria. 4. A maioribus. 5. Ab educatione. 6. A bonis animi. 7. A bonis corporis. 8. A bonis fortunæ. 9. A rebus a ſe geſtis. 10. A mortis genere.

Exemplum in Demoſthene.

Qui propria vitute peruenerunt ad ſingulare decus, obſcuri licet nati parentibus, laudem promerentur ſimilem; maior eſt enim gloria virtutibus niti ſuis, quam alienis intumeſcere. 2. Demoſthenis pater, fuit alter Demoſthenes, homo honeſtus, atque probus, ſed plebeius, & ab officina gladiorum Machæropæus cognomento dictus, vix ſæculo ſuo notus. 3. Patriam ſortitus fuit, vbi inuentæ, & excultæ bonæ diſciplinæ fuerunt 4. Maiores parum illuſtres habuit, ſed eos eloquentia, ſuaque virtute nobiliſsimos fecit, oratorum princeps adiudicatus. 5. Honeſte fuit diſciplinis inſtitutus ſub oratore clariſsimo Iſæo, & magno præceptore Platone. 6. Vis in eo dicendi Remp. tutata fuit, in qua nomen, & gloriam aſſecutus erat, ſic diſertus, quem Græcia admiraretur, obſeruarent aduerſarij. 7. In eo corporis fuit im-

becillitas, quam ingenio, atque doctrina compenſauit; & naturæ malignitatem animi robore ſuperauit. 8. Patrimonium relictum erat abundans, ſed tutores id male adminiſtrauerant, partem enim ſurripuerant, partem neglexerant. 9. Ipſe tamen præſtantiora bona ſecum geſtabat non humeris, non oculis viſenda, ſed animo, quæ domicilio mentis incluſa, nec mortalium, nec ipſorum manibus labefactari queunt. 10. Pro ſalute Reip. vitam amiſit, vnde populus Athenienſis honorem illi reddens, ſtatuam decreuit.

Vituperatio, ſiue Declamatio eſt accidentium malorum diſpoſitio, & iiſdem abſoluitur capitibus, ſed omnino contrarijs, queis laudatio. Ea ſiquidem, quæ laudibus præbent argumentum, hæc contrariam ſuppeditant vituperationi materiam.

Comparatio.

Comparatio oratio eſt, quæ rem cum re ex ſimilitudine confert, & inſtar laudis, aut vituperationis debet tractari, iiſdem enim conficitur capitibus. *Hectoris, & Achillis comparatio.*

Dum cum virtute virtutem ſtudeo conferre, Achilles, & Hector occurrunt; Venerabilis eſt modo virtus, at comparata fit expetibilior. Vnus, & alter, & ſi non vna, e clara tamen pa-

tria

tria habuerunt originem; alter Phthiæ natus, vnde Græciæ qui nomen impoſuit, natus eſt; Ilij alter, cuius conditores inter numina fuerunt adſcripti. Par genus habuere, quod ambo ex Ioue longa atauorum ſerie progeniem agnoſcunt. &c. alia comparationum exempla ex Plutarco petere licebit, apud quem, Publicolæ, & Solonis: Alcibiadis, & Coriolani; Periclis, & Fabij; Dionis, & Bruti. aliæque apud alios comparationes obſeruantur.

De Oratione, & eius partibus.

ORatio, ſiue concio oratoria eſt ſermo ad delectandum, docendum, & permouendum artificioſe compoſitus, quæ ſex ſibi partes adſcribit, quæ ſunt, Exordium, Partitio, Propoſitio, Narratio, Confirmatio, & Concluſio, nam Confutatio in confirmatione comprehenditur:

Exordium.

EXordium eſt pars orationis, animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem. Aptat vero tribus modis, captando beneuolentiam, docilitatem faciendo, & conciliando attentionem.

Beneuolentia captatur, ſiue fauens redditur

auditor, vel ex perſona propria, Oratoris, vel auditorum, vel aduerſariorum, vel ex re, & negocio præſenti. Ex propria captat perſona beneuolentiam orator, ſi ſe motibus auditorum accommodet, ſi modeſtiam præſeferat, ſi ſua merita, dignitatem, virtutem modeſtiſsime numeret. Ex perſona auditorum, ſi eorum in Remp. merita, vel in ſe, vel in alios, aut dignitatem, aut virtutes nunciet. Ex aduerſariorum perſona, ſi illorum aperiat vitia, & auditoribus infeſtos modeſte faciat. Ex negocio, ſeu re propoſita, ſi modeſte cauſam extollat ſuam laudando, & aduerſariorum quaſi per contemptum deprimat.

Docilitas fit, cum clare orator aperit quid de quo, & quomodo dicturus ſit.

Attentio excitatur cum ſe dicturum promittit magnis de rebus, mirabilibus, iucundis, neceſſarijs, & ad auditorem pertinentibus.

Exordium in demonſtratiuo non tam neceſſitas, quam ornatus, & pompa præſcribit. De attentione, & beneuolentia concilianda ſollicitus non ſit, qui laudationem ſcribit, cum aduerſarium habeat neminem.

Exordij vitia hæc erunt; Si ſit vulgare; ſi ſit longum, quod magnitudini orationis totius non quadret, ſi quaſi verbis obeſum intumeſcat; ſi ſit ſeparatum, quod non cohæreat reliquis orationis partibus, ſi in ſolutis, & liberis

conſiſtat

onſiſtat deſcriptionibus. Sit itaque venuſtum, legans, aptum rei propoſitę, v.rb s, & ſententijs concinnum, & a quo non violentus, ion coactus, ſed facilis, & connexus fiat ad 'ropoſitionem acceſſus.

Qualitates orationum.

QValitates orationum ſunt ſex, Honeſta, turpis, dubia, admirabil s, humilis, obſcura; quotieſcunque res, de qua agimus, obſcura, turpis, dubia, aut humilis iudicabitur, nſinuatione, non exordio opus erit. Inſinuaio fit, quando in ſimul.tione, & quadam ciruitione audientium animus obſcure ſubitur, iis rationibus. Dicat orator rem non homiiem ſpectari debere; & quid dicatur, non à quo onſiderandum eſſe: vel contra, Hominem, on rem ſpectari debere; & hominis merita, irtuteſque, non ob quamcumque rem contiuo antiquandas. Deinde diſsimulet, ſe ea de e, quæ minus honeſtam faciem habet, eſſe diturum: mox cum mitior factus fuerit audito is animus ingrediatur pedetentim in cauſam. I.barzanes apud Q. Cur.lib. 5. Darium de differendo prælio, & imperio abdicando conſium præparare nititur, hac inſinuatione. Scio, ie ſententiam eſſe dicturum, prima ſpecie aud quaquam auribus tuis gratam. Sed medici

dici quoque grauiores morbos aſperis remedijs curant; & gubernator, vbi naufragium timet, a iactura quic quid ſeruari poteſt, redimit. Ego tamen, non vt damnum quidem facias ſuadeo, ſed vt te, ac regnum tuum ſalubri ratione conſerues. Dijs auerſis &c.

Exordium vnde ſumatur.

IN iudiciali præcipuæ ex ipſius cauſę viſceribus ducendum eſt exordium, in quo iudicem conciliabimus, non tantum laudando, ſed laudem eius ad cauſæ noſtræ vtilitatam coniungentes, allegabimus pro honeſtis dignitatem, pro humilibus iuſtitiam, pro infelicibus miſericordiam; vt pro Milone Tullius.

In deliberatiuo breuiſſima adhibeatur exordia, quare in principio proponendum, qua mente dicimus, quid volumus, quibus de rebus dicturi ſumus, & ſtatim hortari debemus, ad nos breuiter dicentes audiendum.

In exornatiuo ab his vſitatioribus modis. Ab oraculis, & reſponſis orat. 10. parte 2. ducit Muretus, de cognitione ſui. Cræſum olim Lydorum Regem opulentiſſimum petendi cauſa oraculum Delphos miſiſſe accepimus, qui ſciſcitarentur ex Deo, quomodo felicitatem conſequi poſſet, reſponſum vero; Si ſe ipſum cognoſceret, ita demum beatum fore. Cogi-

tare

ſare hinc debemus, magnum quoddam bonum eſſe cognitionem ſui.

Ab inuocatione numinis Plinius initio paneg. Bene ac ſapienter maiores inſtituerunt, vt rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere; quod nihil rite, nihil que prouidenter homines abſque deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicarentur. qui mos, cui potius quam conſuli? aut quando magis vſurpandus, colendus que eſt, quam cum imperio ſenatus, authoritate Reip. ad agendas optimo Principi gratias excitamur?

A perſona, quæ laudatur dignitate, atquæ præſentia Latinus Pacatus Theodoricum laudat. Si quis vnquam fuit, Imp. Aug. qui te præſente dicturus ante trepidauerit, eum profecto me eſſe, & ipſe ſentio, & ijs, qui conſilium participant tuum videri poſſe video; nam cum te ſemper vltra omnes retro principes laudari oportuerit, nunc porro vltra quam alias prædicatus es.

A nouitate orationis Ariſtides. Mare quidem nullus adhuc vel poetarum, vel oratorum &c.

Fiunt exordia ſumpta ex re aliqua, quæ cum orationis argumento coniuncta ſit, & quaſi ex eius quæſita viſceribus, vt laudaturi Beneficentiſſimum Principem, a Beneficentiæ laude ordiamur, eumque dicemus, dum ſuos theſauros ape-

aperit ad bene de omnibus merendum, aperire etiam ora mortalium ad ipſius merita prædicanda.

Ab occaſione orationis, quæ deſumitur vel ex parte ipſius argumenti comparati ad perſonam, quæ dicit; apud quam dicit, ad locum, vbi dicit, Muretus orat. 2. de laudibus litterarum, Quæ ſingula hominibus ad dicendum accedentibus timorem facere conſueuerunt, ea ſ mihi obyciunt vniuerſa; Siue enim locus afferre perturbationis aliquid poteſt, Venetijs dicimus. Siue audientium dignitas; magna adhortante lectiſſimorum hominum frequentia dicimus. Siue ipſa orationis materia, ita dicimus, vt nobis eodem tempore, de ingenio, de doctrina, de gloria, ornamentiſque omnibus in hoc litterarium certamine periclitandum.

Ab enumeratione cauſarum, ſcilicet, cum orator cauſas dat, cur dicat. Cic. pro Roſcio Amerino. A me ij contendunt, qui apud me, & amicitia & beneficijs, & dignitate plurimum poſſunt, quorum ego beneuolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aſpernari, nec voluntatem negligere debeam; his de cauſis, huic cauſæ patronus exſto.

Ab affectu quouis grauiore, quem ſecum orator affert, ſiue ira, ſiue admiratio, ſiue dolor ſit. Cic. in Cat. Quouſque tandem abutere

abutere Catilina patientia noſtra? quandiu in nos furor iſte eludet? quem ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia? patere tua conſilia non ſentis?

A narratione rei alicuius anteactę, cum de re præſenti habendus eſt ſermo Cic. in Catil. 3. orat. deſcribit qualis olim fuit Reip. ſtatus, vt inde quid ipſe geſſerit clarius appareat hoc modo. Remp. Quirites, vitamque omnium veſtrum, bona, fortunas, coniuges, liberoſque veſtros, atque fortunatiſsimam pulcherrimãque vrbem conſilijs, laboribus periculiſque meis ex flammis, atque ferro ereptam, conſeruatam atque reſtitutam videtis. Nunc autem vt id . . . . .

Ab oppoſitione tam perſonarum, quam ſententiarum, vt contradicturi, affirmabimus, Aduerſariorum nobis non placere ſententiam, adductiſque rationibus, tandem ſubuciemus, Muretus orat. 3. de vtilit. litt. Per multos eſſe intelligo, qui de his litteris, quæ humaniores vocantur eam animo imbibere ſententiam, vt earum tractationem leue quiddam, aut nugatorium exiſtimant, a quibus ego quoniam diſſentio . . . . .

A propoſitione vniuerſali, quando ſit agendum de particulari. Muret. orat 13. part 2. de Taciti hiſtoria. Neque pars vlla ſtudiorum humanitatis amenior eſt, aut fructuoſior, quam

hiſtoria;

Digitized by Google

hiſtoria; neque gentis vllius hiſtoria eſt, quæ cum hiſtoria pop. Rom. aut magnitudine, aut pulchritudine commēdet; neque ex ingenti ſcriptorum, qui res Romanas litterarum monimentis prodiderunt, numero quis piam eſt, quem merito quis Cornelio Tacito anteponat.

Si Propoſitio debeat continere paradoxum, tunc explicandum in exordio, quam non immerito videatur incredibilis ea propoſitio. Volumus e. g. probare ſacerdotes eiuſdem met Dei Dominos eſſe, oſtendemus in exordio, ex rebus creatis, vix vllam eo vſque creſcere poſſe, vt ei non ſit auctoritati, & quidem ſummæ, Deo famulari; adhuc velle tam probare &c.

A re vel perſona, vnde ſumitur allegoria, de qua ſuo loco, comparatio, idea; ſic apud Dionem Chriſoſtomum, Laudatio Socratis ſumit initium ab eius magiſtro Homero, cum quo videlicet Socrates comparatur.

Si propoſitio futura erit metaphorica, & de hac alibi agendum, ducatur ab explicatione rei proprietatum, vnde metaphora ſumenda, ſic Io: Baptiſta Ferr. orat. 10. in aduentu S. Spiritus ab incendij metaphora ſumit orationis initium hoc pacto. Adſum incendij nuncius, quo incendio cum vniuerſus terrarum orbis, tum præcipue regina hæc vrbium ampliſſima conflagrauit, neque tamen opem imploraturus adſum, ſed ardorem gratulaturus. Non enim

enim Nero aliquis trabeatus vſtor feralem ſubdidit facem, at ipſe ſuos inicçit ignes amor Deus. Deo autem ardere beatum eſt, idem me ardor accendit vt beati eloquar fœlicitatem incendij.

In frequentijs celeberrimis ab ijs affectibus, qui reputantur in auditoribus, vt lætitiæ in Paſcate; doloris in Paraſceue, Angelus Polit. ad Alex. VI. Et ſi chriſtiana reſp. omnis electionis Rom. Pontificis, quemcumque eum tamen eſſe contigerit, gaudere ſemper iure debet, & lætari, quoniam ſine paſtore grex Domini periclitatur, tamen hoc tempore eſt, B.P. in quo profecto redundantem lętitiam cohibere homines nequeunt, quod is tu, P. M. nobis contigiſti, cuius prudentia &c, Et Ioannes Bapt. Ferr. orat. 8. Erumpe tandem, erumpe, qua liçet ex ore, ex oculis, ſine Rhetoris fuco incomptus abſque partitionis ordine, inçompoſitus, Deo moriente, parentalis dolor.

Ab Hiſtoria Plutarchus. Marathoniam pugnam ſumma amorum dimicatione, a grecis, barbariſque confectam, ſæpius audiſtis, ac ne mediocri ingenij contentione ſcriptam accipitis. Erant enim ex tota græcia, quæ optimis ſemper floruit ingenijs, trecenti homines delecti, qui quod bellatores gladio feciſſent, ijdem ſtylo proſequerentur. Vtinam illi in æuum noſtrum redirent, glorioſiorem aliquando campum

puam in hodierno argumento inuenirent.

A Fabula. Plotinus ad Ioannem Patr. Ferunt in Eunomij cytharedi lyra cicadam olim cõſediſſe,& quãcũque poterat vocula ceterarum fidium delicatiſſimos concentus proſecutam, Simili profecto ratione cum tot ibi egregij poetæ blandiſſimos cytharæ neruos impellentes encomia ,N. cecinerint. Ego licet tenuis, amore tamen, & ſtudio plenus eorum voces conſector.

Ab exemplo, vt Alexandrum Macedonem Thimotheus tybicen canens bellicum, ita rapiebat, vt eodem veſtigio ad arma proſiliret: vtinam quoque verba mea apud vos eumdem ſortirentur effectum; dum &c.

Sumitur denique a ſententia, ab alicuius dicto, a legibus, ab apophtegmatibus, ab adagio, hieroglyphico, vel ab eruditione alia, quæ cum oratione bene quadret ſemper cauendum, vt quam facillime acceſſus ad Propoſitionem aperiatur.

In oratione funebri fas aliquando fuit ordiri ſine vllo ambitu, & verborum præparatione, qua noſtrum ſignificetur conſilium. S. Greg. Naz. in laudem ſororis ſuæ Gordianæ defunctę. Sororem laudans, domeſtica prædicabo. Et Gorgias Leontinus, Eliden vrbem ploraturus; ſic. Elis beata ciuitas &c.

In aniuerſaria pompa, ab orationibus alijs

de

de eadem perſona, vel argumento habitis, vt Maximiano, & Conſtantino dictum. Dixerint licet plurimi multique dicturi ſint ea, quibus omnia facta veſtra, ſummarumque virtutum merita laudantur, Sacratiſſimi Principes. &c. Huc ſpectat locus, vbi vixit, vel obijt, vel tumulatus eſt ille, qui laudatur; tempus mortis, vel apparatus funebris, prodigia, ſi qua mortem ſignificare viſa ſunt, & alia, quæ ferme cadunt in proœmium funebris laudationis. S. Ambroſius funebrem orationem Theodoſij Imperatoris ita auſpicatus eſt. Hic vobis motus terrarum, & vltra ſolitum caligo tenebroſior nunciabat, quod Clementiſſimus Imperator Theodoſius receſſurus eſſet e terris, ipſa enim exceſſum eius elementa mærebant.

Alia habemus exempla in Mureto, Parpiniano, Verhulæo, Franciſco Maria Caſini Arretino, capuccinorum gloria, & eloquentiæ pharetra.

Partitio.

Ingreſſu ad orationem feliciter inuento, argumentum orationis dilucide ponendum eſt; Et ſi plura ſint orationis capita, adhibenda eſt bræuis partitio quædm, qua orationis capita diſtinguenda, & enuameranda ſunt.

In iudiciali genere peculiare præceptum non

 eſt

eſt opus ; quia cauſæ diuerſitas, diuerſam plerunque facit diſponendi rationem.

In genere deliberatiuo ratio vtilis, quæ in omni dicendi genere verſari poteſt, ſex modis variatur. 1. Ratione ſubiectorum, in quibus eſt, vt ieiunium vtile eſſe animæ, & corpori. 2. Ratione temporum, vt munitionem vrbis vtilem eſſe præſentibus, atque futuris temporibus. 3. Ratione locorum, vt Eleemoſinam non minus in terris, quam in cælis beare hominem. 4. Ratione ætatum, vt Iuuenibus, atque ſenibus ſtudia prodeſſe. 5. Ratione conditionum, vt non minus pauperes, quàm diuites ab eloquentia iuuari. 6. Ratione ſtatuum, vt moderationem vtilem eſſe rebus proſperis, & aduerſis.

In demonſtratiuo eadem vti partitione poterimus; narrando laudes alicuius ratione ſubiecti, locorum, temporum; atque illum demonſtrando rebus publicis, atque priuatis, paci, belloque fuiſſe vtilem; quamobrem Cicero vbi laudationem inſtituit Pompei, proponit, & enumerat orationis capita. Ego enim, inquit ille, ſic exiſtimo in ſummo imperatore, quatuor has res ineſſe oportere; Scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, felicitatem. Et hinc, vt diximus, docilis fiet auditor. Partitio aliquando in exordio; aliquando intra orationem, & aliqua ex cauſa, & occaſione poni ſolet.

Digitized by Google

ſolet. Qua propter illa, quæ in Narratione docebuntur, videnda erunt.

Propoſitio.

PRopoſitio eſt ea pars orationis, per quam breuiter locus is aperitur, ex quo omnis vis manare debet orationis. Hæc extendi debet ad totum id, quod eſt in oratione tractandum; ne aliud Propoſitio ſit, aliud narratio.

In demonſtratiuo genere conſlatur Propoſitio ex nomine perſonæ, vel rei, quæ laudanda eſt. In nomine eorum interdum exprimitur, aut certe indicatur aliqua virtus, e, g. In nomine Innocentij innocentia, Conſtantini conſtantia, Clementis clementia elucet. Auſonius ad Gratianum Imp. Tu, Gratiane, qui nomen hoc non ſingulis factis, qui perpetua grate agendi benignitate meruiſti, cui, niſi ab auo deductum eſſet, ab omnibus adderetur; Tu ipſe tibi, inquam, pro me gratias refer.

Aliquando à nominis ſignificatione non eruitur virtus, ſed ſignificatur excellentia, quæ pertinet ad eum, qui laudatur, e. g. Nomen Ioannis ſignificat gratiam, vnde laudaretur Ioannes Euangeliſta, qui Chriſto fuit eximie gratioſus, & dilectus. Hinc ariſtides in hymno ad Iouem, ab Iouis nomine ſumpſit argumen-

tum, quod ſit omnipotens, progenitor regum, rerum, & Deorum.

Sæpe nomen indicat rem aliquam naturalem, cum qua poteſt ille, qui laudandus eſt per allegoriam perpetuam ingenioſe comparari, e.g. S. Margaritam laudaturi, conferemus eam cum margarita lapillo precioſo, quem geſtat in nomine; aut ſaltem ex varijs Margaritæ dotibus, vitæ candorem, & innocentiam nunciabimus. Hinc S. Aug. de D. Stephano. Stephanus græce, inquit ille, latine corona; iam coronam nomen habeat, & ideo martirij palmam ſuo nomine poſſidebat.

Eodem etiam nomine cohoneſtatus celeberrimus vir aliquis, vel fæmina retroactis ætatibus poterit argumentum præbere, dummodo vtriuſque perſonæ res geſtas aliqua ſimilitudo intercedat, vt, ſi S. Ioſephum Sponſum B.M.V. exornaturi compararemus cum Ioſepho Patriarca, vnde S. Bernardus ſerm. 2. de Incarn. Dom. Si Principem, aut regem, cui nomen ſit Alexandri, vel Cæſaris, cum antiquo Alaxandro, vel Cæſare tota oratione ſimillimũ ijs fuiſſe demonſtrabimus.

Are inſigni naturali, vel artificioſa, perſona laudatur, quæ habeat non leuem conuenientiam in proprietatibus, aut conditionibus, vt ſi in gentilitio eius ſtemmate expreſſa talis res cernatur, vel in illius vita contigerit quidpiam

cum

cum re illa connexum. vt. Si principem exornare velimus, cuius familiæ inſigne ſit Leo, aquila, aut roſa, in harum rerum dotibus virtutes eius principis, & facta laudesque adumbratas oſtendere poterimus; ſic Solis qualitates in D. Thoma, canis in D. Domino, Aquilæ in D. Ioanne, Lunæ creſcentis in Alexandro Strozza noſtro clementiſſimo Antiſtite, proponere licebit. Tum cupreſſi, lilij, roſæ, aliarumque ſimilitudinum in B. V. M. Huiuſmodi vero propoſitiones mitigandas ita cenſemus, vt ſenſus earum dilucide explicetur; non enim proponemus, S. Ioannem fuiſſe aquilam; neque D. Thomam fuiſſe ſolem; ſed potius fuiſſe aquilam, quæ linceis oculis ipſam etiam diuinitatem attigerit, ſcrutata cęlū, eius ad nos arcana detulerit. Fuiſſe Solem, qui cælum eccleſiæ ſuæ doctrinæ lumine clarum effecerit.

Perſonam laudandam adæquare, aut etiam anteponere conabimur alicui ex antiqua præſertim memoria præſtantiſsimo viro, vel fæminæ, quamuis nomine ſint diuerſi. Hinc promittere licebit virum huiuſmodi, alterum Epaminondam fortitudine, Archelaum continentia, Cæſarem clementia, vſu familiari Pompeium, aut Scipionem; huius generis eſt oratio apud Dionem Chriſoſtomum, qua Socrates laudatur per comparationem cum Homero. Ad hoc genus argumenta pertinent, quibus ali-

quem vel angelis, vel ipſi Deo, quantum mortali fas, ſimilem fuiſſe dicendo contendimus.

Ingenioſa, & grauis eſt ea proponendi ratio, cum fingitur Idea, ſiue perfectum exemplum ſtatus, vitæ, dignitatis, vel muneris, quod exercuit ille, qui laudatur. Apud Cic. pro lege Man. Pompeius laudatur per Ideam perfecti Imperatoris. Ego enim ſic exiſtimo in ſummo Imperatore quatuor has res ineſſe oportere, Scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.

Poteſt idea quoque formari virtutis vnius, cum in illo, quem exornamus vnam tantum virtutem eligimus prædicandam. Ita in Socrate alij ſapientiam, alij patientiam, In Alexandro liberalitatem. In Themiſtocle prudentiam. In Ariſtide iuſtitiam. Conſtantiam in Coruncano propoſuerunt admirandam.

Cum in aliquo illuſtri, & honorifico titulo, vel communi omnium conſenſu, vel ab inſigni aliquo authore, vel alia quauis cauſa perſonæ laudandæ impoſito orationis moles ædificatur, & optimo iure titulum attributum fuiſſe aperimus, huiuſmodi ſunt tituli illi, Magnus, Maximus, Pius, Pater Patriæ, Deliciæ generis humani, quibus appellationibus veteres inſigniti aliquando fuere: eodem modo tituli Doctoris gentium, Doctoris Angelici, vel Seraphici, Thaumaturgi, Chriſoſtomi, melliflui, & quibus

viri

viri ſancti fuerunt ornati, quo argumenti genere texuit panegyricum Maximiano, Auguſto Mamertinus, dum eundem Maximianum, qui vocatus eſt Herculeus; & Diocletianum, qui Iouius eſt nuncupatus laudat ſumpta materia ab ijs titulis, atque rebus geſtis Herculis, & Iouis.

Titulus modeſte recuſatus afferet propoſitioni argumẽtũ, dicendo, eum, qui laudatur, digniſſimum fuiſſe titulo, quem reiecit; ita laudari poſſet Alexander Seuerus Imp., qui vt eſt apud Lampridium in eius vita, titulum Magni à Senatu oblatum recuſauit ijs verbis. Quieſcite igitur, Venerãdi patres, & vos ipſi magnifici, vnum me de vobis eſſe cenſete potius, quam Magni &c.

Eſt etiam in vſu erigere cuipiam coloſſum, templum, imaginem lineare, coronam texere, tropheum ſtatuere; Seu conſiderando ipſius actiones deſumere dictum aliquod, ex auctore, qui ſit in exiſtimatione. E. g, *Exeat aula, qui vult eſſe pius*, vt S. Eliſabeth Reginæ dignitates eliceremus, quod inter opes vixerit inops, Et ex Euangelio, qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur; vt de D. Donato Martyre, qui docuit, & magna fecit, encomia proferremus.

Ad paradoxum confugere fas eſt, idque fit

per modum rei ab opinione valde remotæ, e.g. Si proponere velimus, Hominem ſibi malorum authorem eſſe; proponemus; Neminem eſſe miſerum, niſi qui vult; aut cum D. Chriſoſtomo. Neminem lædi, ſi à ſe metipſo.

Ex repugnantibus Io. Bapt. Ferr. Ex fuga victorem B. Stanislaum propoſuit. Habent huiuſmodi propoſitiones eam nouitatem, ex qua pendet auditorum beneuolentia. Vbi cauſe animaduertendum eſt, ne nimia nouitatis affectione degneremus in ineptias; qua propter haberetur ridiculus, qui proponeret, Virginem Deo fuiſſe maiorem. Sanctum Ioſephum toti ſupparem Trinitati. Tribulationem iucundiorem paradiſi gloria.

Denique vitam, ac virtutes, actioneſque clariores à natali vſque ad obitum, vel vſque ad tempus, quo quis laudatur, ſi adhuc viuit, exponere poſſemus, cuiuſmodi eſt oratio Euagoræ regis apud Iſocratem. Panegyricus Plinij, atque Latini Pacati. Ingenioſius tamen aliqua illuſtri propoſitione, & acuta, virtutem, ac vitam commendare poterimus hoc modo. Si vitam D. Pauli velimus illuſtrare panegyrico, & oſtendere, quam illa fuerit orbi terrarum ſalutaris, propoſitionem formare poſſemus occaſione deſumpta ab illius conuerſione erga Deum. Ex D. Petro à pænitentia poſt Chriſti

nega-

negationem, ex D. Thoma ab eius confeſſione, ſic. Tua profuit ad fidem infidelitas, Thoma, & inde demonſtrare licebit in omnibus rebus ab eo geſtis ſalutem hominibus procuratam.

Narratio.

N*Arratio* vel eſt vna ex partibus orationis, quæ communiter ſtatim poſt exordium ponitur, vt ex illa confirmandi modus aſſumatur; vel coniunctim ponitur cum oratione, quod fit in iis orationibus, quæ ad probandam geſtæ rei explanationem aſſumitur; & tam in exordio, quam in ceteris partibus reperitur.

Narratio, quæ vt ſeparata ponitur eſt oratio, quæ rem geſtam, vel perinde vt geſtam diligenter exponit. Hæc debet eſſe breuis, ne tædio afficiat, & vt memoria teneatur; dilucida, vt intelligatur; & vt credi poſſit, veriſimilis. Breuis fiet, ſi tantummodo neceſſaria apponantur, & non ordiamur Troianum bellum ab ouo gemino. Erit dilucida, ſi verba perſpicua, plana, propria, & vſitata ſumantur, & rerum ordo fuerit obſeruatus. Veriſimilis, ſi addantur particulæ, vt poſtulat mos, opinio, fama, & ſi perſonarum dignitates, tempora, locaque reſpiciamus: alioquin veritas ipſa fide careret.

Nar-

Digitized by Google

Narratio tanquam vna ex partibus orationis definitur, quod ſit Rerum geſtarum vtilis ad perſuadendum commemoratio. Hæc conſtat ſex veluti elementis, quæ ſunt Perſona vna, vel pluribus, quæ rem geſſerunt; res ipſa, vel negocium, quod geſtum eſt, locus vbi, tempus quo acta res fuit, modus, & cauſa agendi.

Duplici poteſt ordine Narratio oratoria contexi, altero naturali, altero artificioſo. Naturalis ordo, cum à natali, patria, parentibus, & ijs, quæ natalem præceſſerunt, ſi qua ſunt memoratu digna, progredimur ad res in pueritia geſtas, ad facta adoleſcentiæ, & cæterarum ætatum; demum, ſi qui laudatur, mortuus eſt, mortem illius exponimus, & quæ mortem conſecuta ſunt, admirationem, & laudem poſtulantia, quem narrandi ordinem Iſocrates expreſſit in laudatione Regis Euagoræ.

Artificioſus ordo eſt, cum nullo ætatum, aut naturæ habito reſpectu per virtutes incedimus, aut dotes, ſiue bona, & ornamenta rei laudandæ. Vel per capita, in quæ partiti ſumus orationem, & in ſingulis facta narramus, quæ ad ea pertinent, ſiue in iuuentute, ſiue in ſenectute; ſiue prius, ſiue poſterius acta ſunt.

Alter eſt ab arte quæſitus narrandi modus, cum incipimus à factis minus claris, à quibus ingenioſa gradatione ad præclariora ſermo

pro-

producitur, vt Cicero vſus fuit in flagitijs numerandis Verris duabus orationibus poſtremis ad eumdem.

Si laudatio per allegoriam, aut per comparationem inſtituta ſit, vt à natalibus facto initio paulatim oſtendamus eum, qui laudatur ſemper ſimilem ſe prætuliſſe rei allegoricæ, vel perſonæ, cum qua confertur, quanquam ita conſtrui narratio poteſt, vt neglecto naturæ ordine principium capiatur ab vna proprietate rei allegoricæ, vel perſonæ, cum qua ſit comparatio, & cum hanc in eo, quem laudamus extitiſſe contendimus.

Amplificatio.

OMnem vim oratoris, inquit Quint. lib. 3. cap. 3. in augendo, minuendoque conſiſtere; & ſophiſtorum virorum ſuperba gloriatio fuit, magna dicendo extenuere, & exiguis magnitudinem addere, ſicuti Plato teſtatur in Phedro.

Ampiificatio igitur erit oratio, quæ id, quod ſimpliciter prolatum paruum videtur, auget: & eſt duplex, verborum & rerum.

In amplificatione verborum coniecturis vti poterimus, e. g. De Sanctis Martiribus verba facturi, loquentem inducere tyrannum minitatem hęc, & hæc; tum contra martyris obycere con-

conſtantiam in reſponſionibus, nihili tormenta facientis. Confugiemus ad Eremi deſcriptiones pro anacoreta. Excurremus in laudes patriæ, auorum, conſanguineorum, filiorum. Vtemur loco communi, vt pro Epiſcopo ea referre, quæ ad talem præſulem ſpectant; pro principe ea, quæ ſunt principis, ita vt principis magnificentia, Epiſcopi caritas in Deum, & proximum, religionis Zelus. Riſu dignus haberetur, qui virtutes tantum actiuæ vitæ pręſuli attribueret, vt peritiam muſices, geometriæ. Dilatabimus verba ſingula per ſynonimyam, ſiue per coaceruationem multorum verborum eamdem ſignificationem habentium, vt Homo, animal perfectiſsimum, imago Dei, creatura ratione prædita.

Rerum amplificatio ex quibuſque Rhetoricæ locis, vnde argumenta petuntur, reduci poteſt ad locum vnum illum, qui enumeratio, ſeu diſtributio appellatur. Quæcumque enim amplificationes fiunt à locis ſingulis, nihil aliud ſunt, quam enumerationes, vel difinitionum, vel adiunctorum, vel ſimilitudinum, exemplorum &c.

Sit igitur dilatanda hæc dictio, *Forma* per definitionum enumerationem. Forma eſt velum oculis, laqueus pedibus, alis viſcus, hoſtis domeſticus, blandus raptor temporum, atque

quietis,

quietis, perpetuus tortor, tormentum libidinis, & ſine virtute ſola, infauſtum animæ pondus, & triſtis ludibrij inſigne.

Partium enumeratio, ſeu diſtributio, quæ non ſolum fit, vt docuimus in ſecundo locorum, ſed in ſolis nominibus ita Ligurinus audacia ſuperat Ixionem, ferocia Salmoneum, Vlixem argutijs, Sinonem fallacijs, crudelitate Phalaridem, & hinc deducitur, quod omnium vitia reperiantur in hoc vno, Modo caſus inferuntur ad maiorem veritatem, e.g. Erat in illo Cyri ſpiritus, Ageſilai temperantia, animus Alexandri, Themiſtoclis ſolertia, vſus Philippi militaris, peritia Scipionis, itaque in hoc vno omnium virtutes colligebantur.

Ab enumeratione adiunctorum, quæ circumſtantiæ nominantur a barbaris, hic verſiculus amplificationem aperiet. *Quis, quid vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo quando?* Et ex his Iudæ prodictio fuit expoſita. *Quis?* Immanis ille furcifer, ac latro, tetrum illud horribileque monſtrum, viliſſimus ille, deteſtabilisque ſeruus, homunicio transfuga. Iudas. *Quid?* Ducem, dominum, ac Deum ſuum, omnem ſanctimoniæ fontem omnis theſaurum ſapientiæ rerum effectorem, ac arbitrum. *Vbi?* In horto diuinis ipſius veſtigijs precibus, ac lacrimis, nunc etiam effuſo humi ſanguine conſecrato.

crato. *Cur?* æſtro auaritiæ percitus, turpiſſima pecuniæ cupiditate, ſtimulatus, incenſus. *Quomodo?* Non aperta vi, ſed dolo irruens, non denuncians palam bellum, ſed pacem ſimulans, ficta ſalutatione, peſtilenti complexu, atroci oſculo. *Quibus?* nefandæ carnificum cohorti, quibus ſtipatus erat, vinciendum, ac trucidandum obiecit.

In argumentis valde amplis, vix locus remanet amplificationi, arctior itaque cura erit adhibenda, amplificando non ſingula geſta illius, ſed virtutes ſpectabiliores; vt ſi pro D. Donato Arretij Epiſcopo. Quis tantæ miracula ſanctimoniæ longe narrabit? Indicia virtutis Nicomedi ſuſpicienda proponant, ex quibus originem, diemque natalem ſanctiſsime reportauit. Sapientiæ prodigia Quirites admirentur, apud quos D. Hieronymus doctorum ille maximus humaniores non modo diſciplinas, at latinas, græcaſque literas abſorbuit, præceptore Donato. Eiuſdem abſtinentiæ, conſtantiæ, animique demiſsionis exempla prædicent Arretini: pietatis, religionis ceterarumque documenta virtutum numeret vniuerſus. Mirabilis Deus non ſolum in ſe, ſed in D. quoque Donato ſemper exſtitit, qui enim pro noſtra ſalute Paſsionis calicem dignatus eſt bibere, ſuum

itaque

itaque ſanguinem de fracto Antiſtitis calice non paſſus eſt emanare.

Confirmatio.

C*Onfirmatio* eſt ea pars orationis, per quam argumentãdo noſtrę cauſæ fidem facimus, cuius duplex eſt modus, Argumentatio, & Narratio. Illa in omni oratione, hæc in ſola locum habet exornatione. Etenim nonne ab ipſis rebus geſtis comprobare poſſumus Martis filium fuiſſe Romulum, narrando quomodo fuerit educatus à Lupa belluina poſita feritate? quomodo in profluentem deiectus non potuerit ijs immergi fluctibus, qui exercitus ciuitates, atque regna ſorbuere? Facinora quaſi diuina nonne Romulum à Marte progenitum declarant.

Argumentatio eſt fuſior argumenti, artificioſaque explicatio, per quam aliqua res aut probabiliter oſtenditur, aut neceſſario demonſtratur, cuius formæ, ſiuæ ſpecies numerantur ſex. 1. Ratiocinatio, ſiue Syllogiſmus. 2. Enthymema, 3. Dilemma. 4. Inuerſio. 5. Sorites 6. Inductio, cui ſubycitur exemplum.

Ratiocinatio eſt argumentatio perfectiſſima, ſuis omnibus conſtans partibus, certoque inter ſe ordine connexis, cujus partes tres numerantur.

tur. 1. Propoſitio. 2. Aſſumptio. 3. & Complexio. e.g.

Omne vitium eſt fugiendum. *Propoſitio*
Atqui pigritia eſt vitium. *Aſſumptio*
Igitur pigritia fugienda eſt. *Complexio*

Quod ſi ſuæ propoſitioni ſubyciatur probatio; & ſuæ aſſumptioni adiungatur confirmatio, quinque partes euadent, hoc ordine.

Omne vitium eſt fugiendum. *Propoſitio.*
Quia turpe, & pernicioſum eſt. *Ratio propoſitionis.*
Sed pigritia vitium eſt. *Aſſumptio.*
Nam innumera damna creat. *Approbatio aſſum.*
Igitur pigritia fugienda eſt. *Complexio.*

Qui propoſitionum ordo ad ſatietatem vitandam varijs poteſt modis immutari; nunc ab aſſumptione, nunc a complexione ducendo principium.

Quoties oporteat inuenire cauſam, ſiue rationem, propter quam conficienda ſit argumentatio, per omnes xvi. locos intrinſecos iam commemoratos circuire iuuabit, & primò per Definitionem, & ibi querendum erit, quid ſit id, qualis eius natura, & quomodo à rebus alijs diſcriminetur. Secundò pergere ad partium enumerationem, & videndum in quas partes diuidi poſſit, & ſic ad alios, & alios locos. Non anxie

anxie inhærendum erit in ſingulis, ſed ſi in vno locorum non occurrat ad ſequentem tranſire per magni referet; non enim facile quilibet locus argumentum porrigit, aut ſi porrigit, non ſemper ſolidum. e.g. Sententia fuit. *Clodius iure eſt occiſus*. cauſa inuenta, *quia* inſidiator formetur ſylogiſmus ita. Accipiamus hanc cauſam & eamdem in propoſitione ſtatuamus dicendo:

Inſidiator iure eſt occiſus. *Propoſitio.*
Clodius fuit inſidiator. *Aſſumptio.*
Igitur Clodius iure occiſus eſt. *Complexio.*

Et ſic in alijs; ſemper autem cogitabimus, quibus rationibus, aut exemplis, aut ſententijs, aut ſimilitudinibus propoſitio, vel aſſumptio confirmari rurſus debeat; maxime ſi probabiles tantum ſunt, & debiliores; nam ſi veriſſimæ ſunt, non probandæ, ſed exornandæ.

Enthymema, quod inuentum fuit ab oratoribus, quando dicebant ad clepſydram, eſt oratio, in qua non omnibus partibus propoſitis, feſtinata inſertur concluſio, hinc ſyllogiſmus imperfectus dicitur à nonnullis. e.g. omne vitium eſt ſpernendum, itaque ſpernenda auaritia eſt. Vel; auaritia eſt vitium, itaque ſpernenda eſt. Hic propoſitio; illic deeſt aſſumptio. Sed iucundius accedit, cum ex contrarijs conficitur e.g. Sequenda eſt liberalitas; ergo fugienda eſt auaritia.

Dilemma eſt ratiocinatio imperfecta, conſtans duabus partibus contrarijs, quarum vtramlibet concedat aduerſarius, reprehenditur, vt. Brutum admonendum non cenſeo; nam ſi bonus eſt, admonitione non habet opus, ſi improbus, contemnet. De futuris angi non debemus; & enim ſi bona ſunt, fruſtra metuimus; ſin aduerſa, infelicitatem duplicamus.

Inuerſio eſt argumentatio, in qua ex aduerſariorum ratione, non id, quod ipſi volunt, ſed quod nobis vtile eſt ſequi demonſtramus. Conſtat autem ex propoſitione, ratione, inuerſione, & approbatione.

Non ſunt legendi poetæ.	*Propoſitio.*
Quia mulcent animum.	*Ratio.*
Immo ob id legendi ſunt.	*Inuerſio.*
Quia mulcent.	*Approbatio.*

Legi poterunt exempla apud Gellium lib. 5. cap. 10. Euathli diſcipuli, & Protagoræ præceptoris de pacta Rhetoricæ mercede; & cap. 11. Biantis de vxore ducenda.

Sorites eſt genus argumentandi captioſum, in quo ex vno conceſſo ad multas concluſiones annexas aſſurgimus, quod coaceruatio propoſitionum poſſet appellari, vt Quidquid eſt bonum, eſt expetendum; quod expetendum, approbandum; quod approbandum, laudabile; ergo quod eſt bonum erit laudabile.

Inductio eſt oratio, quæ ex multis rebus non

dubijs expoſitis, vna neceſſario confirmatur, e.g. Prudētia laudanda eſt, iuſtitia, itēque fortitudo, & temperātia, igitur omnis virtus laudanda eſt. Fit etiam alio modo, nempe per ſimilitudines, adhibitis interrogationibus, & reſponſionibus. Quis optimus arborum fructus, niſi qui ſuauiſſimus? quod aſtrorū primū, niſi quod clariſsimū? Quis equus maximè inſignis, niſi qui velociſſimus? itaq; hominū generoſiſsimus is erit, nō qui generis claritate, ſed qui virtute maxime prçſtat.

Exemplum eſt imperfecta inductio, in qua ab vno ſimile argumentamur ad aliud. Vt doceat Marcus Marulus quanti facienda ſit in Chriſtiano fides vtitur aduerſus Ethnicos SS. Laurentini, & Pergentini Arretinorum exemplo. Arretij Tiburtij Præfectus Laurentinum, & Pergentinum, ne Chriſtum prædicarent ſuaſionibus, blanditijſque lactabat; vbi id parum ſucceſſit comprehenſos fuſtibus verberari iubet; verberantium brachia aruerunt. In carcere concluſis cibum denegat; ab angelo aliti ſunt. Eductos ſuper candentes prunas, ambulare nudis pedibus cogit, vt ſuper arenam iuerunt illeſi. Iouis allato ſimulacro, vt adorent minaciter hortatur; illis autem Ieſum inuocantibus Æneus Iuppiter in puluerem ſolutus periit. (Igitur tyrannorum ſæuitiam, immanitatemque calcabit, & deos conteret alienos, qui

 ſtudio

ſtudio religionis fuerit fideliter inſignitus.)

Exemplum differt à Ratiocinatione, & Enthymemate, quia in ijs ſemper aliquid vniuerſale ſumitur: in exemplo aliquod particulare.

Differt etiam ab inductione, quia inductio à pluribus ſimilibus, exemplum autem ab vno tantum ſimili procedit.

Sic diſpoſitis dialecticæ argumentis, videat ſtudioſus adoleſcens, quomodo oratorie eadē tractare poſſit, e. g. Sit apud Rhethores propoſitio; Decorandos eſſe, qui Reip. profuerunt; & aſsūptio, quod Reip. Cicero profuerit; ſic eſſeretur per modū ſyllogiſmi oratorie tractandi.

Propoſitio. Omnia ſunt honorum inſignia conferenda viris, qui Remp. ſuis illuſtrare ſudoribus, ſanguine decorare, operibus augere non deſtiterunt. *Ratio.* Quo enim pacto ingrati animi vitio patria non laboraret, ſi eorum gloriæ liuor monumenta ſubſtraeret, qui nulli vnquam labori pepercerunt, vt publicam extollerent maieſtatem? *Aſſumptio.* Quā[illegible] autem non profuit patriæ Cicero, quando Rom. remp. iuare prætermiſit? Latinam ille linguam ornauit, innocentes in curia, in foro tutatus eſt: impijs reſtitit, facinoroſos extinxit, factioſos oppreſſit: compeſcuit ille ſeditiones, bella deluit, diſcordias diremit: leges, & quietem in ſuo robore ſolidauit. *Approbatio.*

Dicant

Dicant hoc litteræ, teſtetur Catilina deletus, Marcellus reſtitutus confirmet; non ſileat Antonius, loquatur Pompeius, Cato non obmuteſcat: immo perdiſcant ipſi lapides, ipſa menia, tellus ipſa verba profundere, quod de Ciceronis iuuamine erga patriam erga omnes nullo pacto ſilebunt. *Complexio*. Cur igitur ſtatuæ nō extollentur arcus non erigentur? Deerunt Ciceroni trophea, Ciceroni inquam illi de quo ſemper meminerit Vniuerſus.

Confutatio.

COnfutatio, quæ etiam reprehenſio, eſt pars, aut ſpecies orationis, per quam aduerſariorum diluitur, aut infirmatur. Hæc eodem vtitur argumentationis fonte, quo confirmatio; propterea quibus locis aliqua res confirmari poteſt, iiſdem infirmari, in contrarium aſſumptis argumentis. De hac etiam in præexerciramentis.

Peroratio.

PEroratio, ſeu Concluſio, & a græcis epilogus eſt orationis poſtrema pars, in qua orator iam quod in oratione tota contendebat, maiori vehementia euincere, & obtinere niti-

tur. Hæc partes duas habet, Enumerationem, & Conqueſtionem. Enumeratio breuis eſt argumentorum repetitio, breuiter, ſclare, & noua verborum varietate facienda, ne crambentequocamus ad nauſeam, & per eam redit in memoriam auditor, quid per longam orationem dictum ſit totamque cauſam ſummatim recognoſcit. Conqueſtio, quam alij commiſerationem, alij vocant Indignationem, eſt per quam auditores ad amorem, ad iram, & ad quemuis animi motum impelluntur.

De affectibus mouendis.

TRia eſſe orationis officia nouimus, Docere, delectare, mouere. In exordio delectat, in confirmatione docet, & in Concluſione permouet. In animis permouendis omnis victoria poſita eſt. Sed affectus per ea excitantur, quorum vſus aut prodeſſe, aut obeſſe videtur. Prodeſt caritas, vt Dei vt patriæ, vt parentum. Prodeſt amor, vt fratrũ, vt coniugum, vt liberorum, vt familiarium. Prodeſt honeſtas, vt virtutum, & earum præcipue, quæ ad liberalitatem valent.

Si ad iram prouocare auditorem oratori contingat, ob aliquod opus indecore peractum id tanquam inſuetum, & minime ferendum dicat, mani-

manifeſtando innocentiam, dignitatemque recipientis, & inferentis inhumanitatem. Cum vellet Q. Minucius apud Liuium lib. 2. dec. 3. militum turbas ad iram compellere, & ad pugnandum acuere, cædes iniuriaſque ante oculos poſuit, quas eorum familiares, & commilitones paſſi fuere, eaſque ab ſuorum, hoſtiumque conditionibus auget.

Si ad pudorem, Marcelli imitetur exemplum, ſuos qui milites in fugam actos, *vt ibidem lib. 7.* ipſorum animi abiectionem auget, aſſerens, qam præpoſtere, ac neceſſe erat, atque vt eorum conſuetudo, ſegeſſerint, ſimulque neque hoſtium conditionem, neque numerum permutatum; fugæ, vexillorumque iacturam enuncians, eos eſſe primos; qui huiuſmodi honorem Hannibali, & Romanis ignominiam attulerint.

At miſericordiam quoties aliquis exalto fortunæ gradu ad humilem ſit depreſſus; ſi diuitias authoritatem, amicos, famulos olim ſibi ſubiecto numeret; & deinde rebus ſingulis exutum queratur. Ita Liuius lib. 9. dec. 3. Locrenſes introducit apud Rom. Populum de Q. Pleminii crudelitate conquerentes.

Ad terorem commoueri ſolent adoleſcentes a Dei templo propter irreuerentiam, quos tunc clamabimus diuina exuendos eſſe gratia.

peccati fœditate deformatos, his pæne verbis. Auolabit ex illo altari Deus, ſolo æquabit hæc templa,& dabit ſtabulum fieri iumentis, fugient ſacerdotes, & puluerem excutient de pedibus. Et quia præſentia ſtimulis acrioribus ſollicitant, quam futura; ſub figura Conceſſionis res erunt exponendæ Excutitæ Sacerdotes puluerem de pedibus, ſacra illa colligite lipſana, ſacramenta vobiſcum auferte, quæramus religioni populum, qui maiori cum ſtudio colat, & veneretur.

Elocutio.

EST Elocutio ornandæ, atquæ augendæ, orationis ratio (vnde eloquentia, & nos eloquentes dicimur.) Hæc ceteris partibus antefertur; quia ſine elocutione reliqua gladio intra vaginam hærenti ſimilia erunt. Figurarum ornatu comparatur Elocutio. Figura autem eſt nouata quędam res,& forma dicendi ſupra vulgarem, ac quotidianum morem ex arte acta; & quia figuræ in verbis, in ſententijs, ut in vtriſque conſiſtunt; hinc aliæ dicuntur verborum, aliæ ſententiarum, aliæ miſtæ: & hæ vltimæ magis proprio nomine Tropi appellantur. Figuræ verborum ſunt numero quindecim; ſeptem de quibus Repetitiones, quia candem

dem vocem varijs modis repetunt: aliæ octo, quia in ſimili verborum ſono conſiſtant, figuræ ſimilitudinis nuncupantur, de quibus ſingulis nunc eſt pertractandum.

Figuræ Verborum xv. quarum Repetitionis. vij.

ANaphora, ſeu Repetitio ab eadem voce frequenter orationẽ inchoat, vt ſi per eam laudaturi eſſemus Eccleſiæ ſanctorum patrum eloquentiam. Quis Bizantij oblatrantibus in cœlites hereticis ſilentium indixit aurea mentis facundia? Chriſoſtomus. Quis Alexandriæ in ſanctorum aras retardauit impietatem, niſi Athanaſius? Quis in Cappadocia aras cælitibus excitauit, niſi admirabilis vir eloquentiæ Baſilius? Quis in Anglia furentibus hereticis regis cupiditatibus fortiſſime reſtitit, niſi feliciſſimus Anſelmus? Quis in Africa fidem chriſtianam feliciter auxit, & amplificauit, niſi flexaminæ parens eloquentíæ Cyprianus? Quis in Gallia ſacram religionem tutari curauit, niſi illud alias Areopagi miraculum, & æque doctrina, Dionyſius?

Antiſtrophe, ſeu conuerſio eſt, quia plura eodem verbo clauduntur, eamdem vocem tantum

tum repetens in fine e. g. Doletis ciues optimi, euerſa eſſe veſtra templa? illa euertit hereſis, Lugetis ſacra maiorum monumenta ſuis eſſe ſpoliata ornamentis? ſpoliauit hereſis. Sacratos homines crudeliſsime trucidatos? trucidauit hereſis.

Simploce, ſeu complexio duas has complectitur ſuperiores, & tam in principio, quam in in fine repetit, e.g. Conſidera patres vtriuſque teſtamenti. Implet enim diuus ſpiritus puerum citharœdum, & pſalmiſtam facit: implet abſtinentem iuuenem; & iudicem ſenum facit: implet paſtorem armentarium, & prophetam facit: implet piſcatorem, & principem apoſtolorum facit: implet perſecutorem, & doctorem gentium facit: implet publicanum; & Euangeliſtam facit. Quam ergo inſani, qui hunc non aſſequuntur ſpiritum?

Epanalepſis, aut conduplicatio, eſt quando eadem vox in principio, & fine verſus, aut ſententiæ ſtatuitur, vt altius inſideat animis auditorum, vt Viuis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam viuis. Commotus non es, cum tibi mater pedes amplexaretur; commotus non es; & Ioannes Baptiſta Mantuanus.

Arma

Arma ſacerdotes, armis flagrantibus arma,
Arma fremunt.

Epanodos, ſeu regreſſio eſt quando vox eadem in principio, & medio: vel medio, & fine collocatur. Virg. 2. Æn. *O vos quibus integer ævi*
Sanguis adeſt, ſolidæque ſuo ſtant robore vires:
Vos agitate fugam. *Et Mart. ad Chionem*
Digna tuo cur ſis, indignaque nomine dicam:
Frigida es, & nigra es; non es, & es Chione.

Anadiploſis, ſeu reduplicatio eſt iteratio eiuſdē vocis in fine verſus præcedentis, & principio ſequentis, vt *in* Magna Reip. ſpes ſita eſt in iuuentute: iuuentute inquam illa, quæ a cunabulis ipſis, honeſtis inſtructa moribus &c.
Balnea, vina, venus corrumpunt corpora noſtra;

Epizeuſis, aut commoratio eſt dictionis eiuſdem ſine vllo medio geminatio, quæ animos quaſi ictu duplicato ferit; vt. Tu, tu Antoni Cæſari ruenti cauſam belli ciuilis dediſti.
O ciues, ciues quærenda pecunia primum.
Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cœpit?

Figuræ ſimilitudinis viij.

ANtanaclaſis, aut reuerberatio, eſt quoties vox aliqua iteratur ſignificatione diuerſa per iocum, & dicacitatem, ſiue nomen in verbum, ſiue verbum in nomen inuertens, vt

Eſt

Eſt quid, amice, noui? nil noui ſcilicet inquam;
Aut ſi quid noui; nil tamen aio noui.
Quid facies, facies Veneris, qui veneris ante?
Ne ſedeas; ſed eas: ne pereas per eas. &

Cur eam rem tam ſtudioſe curas, quæ multas tibi dabit curas? Amari iucundum eſt; ſi curetur, ne quid inſit amari.

Paronomaſia, ſeu paragramma, vel annominatio iocoſe vocem aliquam paululum mutat per litterarum detractionem, adiectionem, & immutationem.

Per detractionem, vt mendicus, & medicus.

Qi modo veniſti noſtram mendicus in vrbem:
Paulum mutato nomine, fis medicus.

Per immutationem, vt Mars, & Mors.

Omega noſtrorum mors eſt, Mars Alpha malorum;
In bello diſtant Omega, & alpha parum.

Per adiectionem. vt verba, & verbera,
Tibi parata erunt verba; huic homini verbera.

Polyptoton, ſeu traductio eſt quando vox aliqua repetitur diuerſo caſu, numero, genere, aut tempore; vt Alexander labore ſummo animum ad virtutem conformauit; Alexandri virtutes per orbem terræ vulgatæ ſunt; Alexandro ſi vita longior data eſſet trans oceanum gloria Macedonum tranſuolaſſet: Alexandrum &c. *& de Chriſti funere.*

Mors

Mors mortis morti mortem niſi morte dediſſet;
Cælorum nobis ianua clauſa foret.

Homœoptoton, aut ſimiliter cadens, eſt cum in eadem conſtructione duo, vel plura ſunt verba, quæ ſimiliter iiſdem caſibus efferuntur. vt. Hunc ego non diligam, non admirer, non omni ratione defendendum putem! Figura eſt in illis tribus Diligam, admirer, putem. nam etiam verba, ſicut nomina ſuos habent caſus. Virgilius de ſe.

Paſtor, arator, eques, paui, colui, ſuperaui,
Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu. Et *alius*
Terret, luſtrat, agit, Proſerpina, Luna, Diana,
Ima, ſuperna, feras, ſceptro, fulgore ſagitta.

Homoæutoleuton, aut ſimilitet deſinens eſt cum ſimiles dictiones, aut ſententiæ ſimilem habent exitum, vt. Turpiter audes facere; nequiter ſtudes dicere: & angelice vt omnia D. Thomas de S. Euc. Sacr.

Panis angelicus fit panis hominum,
Dat panis cælicus figuris terminum.
O res mirabilis manducat Dominum,
Pauper ſeruus, & humilis.

Iſocolon. Latine compar pari ſillabarum numero per ſingula membra componitur. Exemplum eſt Ciceronis Sulpitium iureconſultum cum Murena conferentis.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

Vigilias

Vigilas tu de nocte,
vt tuis conſultoribus reſpondeas;
ille vt eo, quo tendit
mature cum exercitu perueniat;

Te gallorum;	illum buccinarum

cantus exuſcitat.

Tu actionem inſtituis;	ille aciem inſtruit.
Tu caues, ne tui conſultores;	ille ne vrbes aut caſtra

capiantur.

Ille ſcit, vt hoſtium copiæ;	tu vt aquæ pluuiæ

arceantur.
Ille exercitatus eſt

In propugnandis;	tu in gerendis

finibus.

Aſyntheton aut ſine copula, eſt cum plures dictiones, aut ſententiæ ſine coniunctionibus efferuntur ad rerum celeritatem exprimendam; vt. Morem gere parentibus, pare cognatis, obſequere amicis, obtempera legibus; &

Fœmina corpus, opes, animam, cor, lumina, vocem,
Polluit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat.

Polyſÿntheton, ſeu multicopula, eſt cum plures dictiones abundant, vt. Me præter ceteros, & colit, & obſeruat, & diligit. Nec prece, nec

Digitized by Google

nec pretio, nec mouet ille minis, quæ ad aliquam declarandam difficultatem idonea eſt.

Figura ſententiarum xxv. quarum x. Commotionis.

FIgure ſententiarum, quæ ad animos permouendos valent, Commotionis dicuntur, quarum prima vocatur.

Interrogatio, quę duplex eſt, ſimplex, & figurata; ſimplex aſſumitur tãtũ ſciſcitãdi cauſa, vt. Vnde venis? quid facturus? quis ille eſt. Figurata; quæ etiam dicitur erothema, eſt quoties non ſciſcitandi, ſed inſtandi, augendi, vel commouendi ergo ad indignationem; miſerationem, admirationem, & ſimiles animi motus adhibetur. Nulla tamen figura eſt, quæ per interrogationem non poſſit exponi, & per eam intelligitur, quod negari non poſſit, vt ſi per interrogationem probare vellemus artem Principis eſſe bellum, dicemus. Quare amabo vix dum bene vagiens comprimit angues Alcides? Vix dum bene balbutiens Cyrus gladios tractat, & victorias mediatur, niſi vt manifeſtum faceret, naturam non tam ad imperium principes vocaſſe quam ad bellum?

Fit inſtandi ergo, vt ſi hominem a diuitiarum amore

amore auertere velimus; Opes gladium eſſe dicis, & quare eo te vulneras? ais eſſe pondus; cur eo te obruis? ais eſſe præcipitium, cur ad id feſtinas? Dicis eſſe venenum, quare bibis?

Conuenit irriſioni; vt. Vbi, vbi ſunt glorioſi ſpiritus, ingentes exercitus, te ſubleuaturi? vix reſtant anhela fatigatis ſuſpiria. Vbi plenæ irarum voces? vix exaudiuntur ſupplicantium gemitus. Vbi caſtrum non expugnatis?

Subiectio fit, quando orator ſemetipſum interrogat, ſibique reſpondet. Vel cum alium interrogat, & non expectat reſponſionem, ſed de ſuo addit; vt. Quanta eſt humanæ mentis pernicitas! Vis, vt maria, terraſque viteriores peruadat? iam peruaſit. Iubes, vt in cœlum euolet? euolauit. Cupis detinere? non potes. Quos enim obices obycies? pone terræ molem; penetrabit; oppone oceanum, tranſiliet: Mundum vniuerſum obyce; momento ſuperabit vniuerſa; Vel. Quid tam admirabile, quam coram celeberrimo doctiſſimorum hominum coetu cum laude diſputare? aduerſantium petitiones eludere? palmam referre? Tullius diſputauit, eluſit, retulit.

Dubitatio eſt interrogationis ſpecies, ea eſt, quando dubitamus, vnde incipiendum, vbi deſinendum, quid potiſsimum dicendum, faciendumue ſit. Ex Tit. Liu. in quadam ad

milites

milites rebelles concione. Apud vos quemadmodum loquar, nec conſilium, nec oratio ſuppeditat, quos, nec quo nomine quidem appellare debeam ſcio. Ciues, qui à patria veſtra deſciuiſtis? Milites, qui imperium, auſpiciumque obtinuiſtis, & iuramenti religionem rupiſtis? Hoſtes? corpora, ora, veſtitus, habitum ciuium agnoſco: facta, dicta, conſilia, animos hoſtium video. Vtimur hac in demonſtratiuo genere, cum alicuius virtutes celebrare ſupra id, quod credi poteſt, ſatagimus.

Communicatio eſt cum cauſæ noſtræ confidentes ipſos conſulimus aduerſarios, aut cum iudicibus quid faciendum ſit, quidue factum oportuit deliberamus, & valet ad obiurgandū, vrgēdū, extorquendum confeſsionem, vt. Nunc ego vos conſulo, quid mihi faciendum putetis; id enim conſilij profecto taciti dabitis, quod ego met mihi neceſſario capiendum intelligo. *alio modo per interrogationem.* Tu denique quid faceres tali in re, ac tempore, quam vocem ſequi, cuius imperio parere? communem hanc rem iudica; nonne feciſſes hæc, & hæc? deinde reſponſio per ſententiam quoties adderetur, venuſtior figura hæc accederet, vt quinque enim deſtitutus a ſuis plerumque ſolet &c.

Suſtentatio eſt qua ſuſpenſos aliquandiu auditores alia minora recenſentes tenemus, deinde

aliquod inuſitatum, admirabile, aut inexpectatum explicamus, vt Quanto fuerint olim in precio litteræ apud non modo reges, ſed quoque tyrannos accipite. Platonem Syracuſas venientem Dionyſius excepit: at qua pompa, quo apparatu, qua beneuolentiæ ſignificatione? Expectatis hic fortaſſe vias ei fuiſſe cylindro æquatas, vt Caligulæ? aberratis. aureis reſperſas ramentis, vt Commodo? hallucinamini. floribus inſtratas, vt Heliogabalo? nihil minus. Quid igitur? Accipite, atque ſuſpicite. Platonem ipſum aureis vehentem quadrigis, auriga ipſe Dionyſius in vrbem glorioſus introduxit. Niſi forte iocari velimus, riſumque mouere, vt Martialis.

Quid conuiuaris ſine me tam ſæpe, Luperce,
Inueni noceam, qua ratione tibi
Iraſcar, licet vſque voces, mittaſque, rogeſque;
Quid facies, inquis? quid faciam? veniam.

Reticentia eſt ſermonis præciſio, quæ vehementiorẽ animi morũ, & affectũ indicat, vt ex ea pars ſequens facile intelligatur, eaque fit vel vt maiorem iram oſtendamus, vt. id patrare audes omnium . . . . . ideſt peſſime, ita eſt illa Virgilij. Quos ego . . . . . ideſt debita afficiam pœna? Vel propter grauitatem, dum quæ latent grauiora ſunt; vt Salomon in vita fuiſti

feli-

feliciſſimus; in morte . . . . quod nolim dicere. Iuuen. ſat. 8.

Maiorum primus quis quis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Vel ad declarandam crudelitatem, vt. Non ceſſabit miſerum illum adoleſcentem vrgere; donec Lictor . . . . Hic notandum; plus geſtu, quam verbo hanc figuram exprimi debere, & indigniationi, & commiſerationi eſſe aptiſſimam.

Conceſſio eſt cum aduerſario permittimus, vt aliquid arbitratu ſuo faciat; quod nos tamen fieri non vellemus, quod ornamentum præcipue delectat, cum conceditur alicui id, quod eidem nocet; vt. Quoniam omnibus ereptis ſolum mihi ſupereſt animus, & corpus: hæc ipſa, quæ mihi de multis ſolum relicta ſunt, vobis, & veſtræ condono poteſtati. Vos me, quo pacto vobis videtur, vtamini atque licebit impium in me quid quid ſtatuite, dicite, atque obtemperabo. vnde Demea Terentianus Effundite, emite, facite quod vobis lubet. Et ad miſericordiam vehementiſſime accomodatur.

Auerſio fit, cum ab ijs, ad quos alloquimur, ad alios quoſpiam orationem conuertimus; varijs fit modis. Modo enim ad Deum, & cœlites ſermonem conuertimus, modo homines eoſque præſentes alloquimur, vel abſentes; vel

mortuos; ad res inanimas, vt ad libros, ad ſiluas, ad loca ſacra, vrbes, virtutes, alloquimur. Valet ad motus in auditorum animos excitandos, & in perorationibus præcipuum locum habet. Adcrbal apud Saluſtium a Romanis ad fratrem mortuum orationem auertit miſerabiliter ſic. Iam iam frater animo meo cariſſime, quanquam tibi immaturo, & vnde minime decuit vita erepta eſt, tamen lætandum magis, quam dolendum caſum tuum;

Licentia eſt liberius pronunciata ſententia commone faciendi, obiurgandi, excuſandi, vel etiam adulandi cauſa, per quam figuram apud eos, quos reuereri debemus, liberiorem induentes perſonam, & veluti libertate abutentes fidem verbis conciliare ſtudemus; ſed requirit in dicente aliquam auctoritatem, proinde non facile cuique conceditur, vt pueris cum ſerio agitur. Exempla ſunt Ciceronis pro Sylla. Attende iam, Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem conſultus mei; maxima voce, vt omnes exaudire poſſint dico, ſemperque dicam. Adeſte omnes animis, qui adeſtis corporibus, erigite mentes, aureſque veſtras, & me de inuidioſis rebus, vt ille putat, dicentem attendite. Ego conſul. &c. & alibi. Poſtremo, (erumpat enim aliquando vero, & me digna vox) ſi ad eorum voluntatem dicta facta-

ctaque

ſtaque noſtra referuntur; optanda mors eſt. &c.

Exclamatio eſt orationis elatio quæ motum animi vehementiorem efficit, reique magnitudinem exprimit, vt cum dicitur. Superi! miſterum! eius vſus eſt, vel ad laudem, vel ad miſerationem, vt dici poſſet de innocentia damnata Lucretiæ. Pudorem accuſat impudentia, vitam virtuti Lucretia poſthabet, putam ſceleris mortem oppetere mauult, quam vſura contaminatæ vitæ frui. O caſtitatem admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentiſque, decorandam! O fœminam fortiſſimis fortiorem viris! O facinus omni præconio ſuperius, omniumque ſeculorum digniſſimum! O decus incredibile, & præter hanc vnam in omni vita inauditum! Huic figuræ ſubditur alia.

Acclamatio, quæ eſt poſt narratam rem ſubiecta ſententia; ſic dicendo de V. & M. Agnete. Hanc ſenes, hanc iuuenes, hanc pueri canant. Nemo eſt laudabilior, quam qui ab omnibus laudari poteſt. Quot homines, tot præcones. Hæc tredecim annorum martyrium feciſſe dicitur. Quo deteſtabilior crudelitas quæ nec minuſculæ parcit ætati. Fuit ne in illo corpuſculo vulneri locus? quæ non habuit, quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret.

Nouum martirij genus; non dum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari.

Figuræ Amplificationis xv.

INterpretatio ea eſt, qua dictum, vel factum alicuius iuxta mentem noſtram interpretamur. vt ſi Epaminondæ Thebanorum ducis verba vltima interpretaremur. *Facta noſtra*, inquit ille, *filij noſtri ſunt*. Hi ſunt filij vere noſtri, facta palmaria, quæ gerimus, hæc germana ſoboles, caſtiſſimaquæ, procreatio; non gremio concepta, ſed animo; non humi, ſed honoris excepta ſinu, quæ in cunis iam adulta non eget fortunæ mammis, vt alatur; nec ætatem poſcit, vt creſcat; & quia virtutis abſolutus eſt fructus, hi a virtute paterna filij non degnerant.

Congeries eſt coaceruatio dictionum res diuerſas ſignificantium (cui contraria eſt ſynonymia, quæ eſt coaceruatio dictionum rem eamdem ſignificantium) exemplum congeriei. Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors, terrorque, ciuium Rom. lictor, Sextius. Et. In amore hæc ſunt vitia, iniuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rurſum. Cic. pro Roſc. Amerino accuſatorum flagitia per congeriem auget his verbis. Pater occiſus nefarie,

ſaric, domus obſeſſa, ab inimicis bona adempta, poſſeſſa direpta, filij vita infeſta, ſæpe ferro, atque inſidijs appetita. Exemplum ſynonymiæ ex Cicerone. Quæ cum ita ſint, Catilina, perge quo cepiſti, egredere aliquando ex vrbe, patent portæ, proficiſcere.

Gradatio eſt quaſi ſcala, qua a re vna ad aliam quaſi per gradus facimus tranſitum, vt ſemper proximum verbum repetatur, hoc fere modo. Semiramis nacta poteſtatem, imperauit militibus, vt regem comprehenderent; comprhenditur: vt vincirent; vincitur: vt interficerent; interficitur: & Ouidius.

Viderat hanc, viſamque cupit, potiturque cupita.

Incrementum eſt per quod ea, quæ minora ſunt, magna demonſtrantur, perueniendo gradatim ab infimo ad ſummum non ſolum, ſed etiam quodammodo ſupra ſummum. e. g. Ingratum eſt Dei non meminiſſe beneficia, peruerſum eius monita ſalutaria reſpuere, ſceleratum eius non parere legibus, impium immortale eius nomen aſpernari: quid dicam odio proſequi? verbo tam acerbo, tam peruerſo, tam nefaria res appellari nullo modo poteſt. Ex Cic. pro Quinct. Miſerum eſt exturbari fortunis omnibus, miſerius eſt iniuria: acerbum eſt ab aliquo circumueniri; acerbius eſt a propinquo: calamitoſum eſt bonis euerti; cala-

mitoſius cum dedecore: funeſtum &c. In qua figura aliquando vnum augetur, vt aliud creſcat; ſic ex Annibalis laudibus gloria Scipionis elucet: ſic Homerus magis Hectorem, quam Achillem; Virgilius magis Turnum, quam Aeneam canunt, vt Achillis, & Aeneæ gloria maior appareat.

Correctio eſt, quæ verbum, aut ſententiam retractat, & corrigit, vt aliquid addatur, quod rem augeat. e.g. Me pudet temperantiæ a christianis repetere doctoribus, cum a profanis, a barbaris a belluis ipſis nobis ampliſsima ſubminiſtrentur exempla. Quis neſciat Scytham illum ingluuiem, & ebrietatem odiſſe? Elephantis etiam eam indolem eſſe accepimus, vt parce, atque moderate cibis vtantur. Et apud Terentium. Filium vnicum adoleſcentem habeo; ah qui dixi, habere me? immo habui, Creme, nunc habeam, nec ne incertum eſt.

Præteritio eſt cum dicimus aliquid nos præterire, quod tunc maxime dicimus. Cipr. in Epiſt. ad Cor. Taceo de fraudibus Eccleſiæ factis, fornicationes, & adulteria, & varia delictorum genera prætereo; ad rem venio. De inſolente iuuentute tua dicam &c. vbi res, quæ ſubiungitur debet eſſe maior omiſsis. Eſt etiam quoddam præteritionis genus acculeatum,

quoties

quoties inſectandus eſt nobis aliquis, e. g. Pudore deterreor, auditores, nec huius impudici ganeonis meam inficere ſordibus orationem, & veſtras aures audeo. Vereor, ne videar parum honeſte loqui, ſiquæ inhoneſte fecit, ſubiciam. Tacebo ergo illa omnia, neque memorabo qua impudentia irruens &c. Aut: non ſum tibi ita inimicus, vt tua omnia hæc facinora, criminaque detegam, exponamque ſingillatim, quibus vitam flagitijs inquinaueris &c.

Occupatio eſt per quam ea, quæ ab aduerſarijs, aut ipſis auditoribus obyci poſſunt, præuertimus, vtroque rationem facti, dictique reddimus; & his fere formulis enunciamus. Quæret quiſpiam, ſunt qui dicant, intelligo quod opponi poſsit, video quid dicturus ſit aliquis. Cic. pro Sexto Roſc. Amerino. Credo ego vos iudices mirari, quid ſit, quod cum tot ſummi oratores, hominesque nobiliſſimi ſedeant; ego potiſsimum ſurrexerim, is, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate ſim cum ijs qui ſedeant comparandus. &c. deinde cauſas affert, cur ad dicendum acceſſerit.

Sententia eſt breue dictum, vel a ſapientibus antea vſurpatum, vel ab oratore ipſo excogitatum ad vitam moreſque formandos, vt ſi de cœcitate cum Quintiliano dicatur. Hoc boni habet cœcitas, quod mala ſua non videt, &

cum

cum Aug. Tenebramorum, & non oculorum attendendæ ſunt.

Commutatio eſt ſententia per contrarium inuerſa, vt

Infelix Dido nulli bene tuta marito;
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Ea re poemata non abſoluo, quia cuiuſmodi volo non poſſum; cuiuſmodi poſſum, nolo. quæ de Tiberio dicuntur, dici non poſſunt; quæ dici poſſunt, non dicuntur.

Tranſitio efficit, vt apte inter ſe copulata orationis membra cohœreant, efficientque nexu quodam vnum quaſi corpus; dicitur Tranſitio, quod per illam ab vna parte ſermonis tranſeatur ad aliam, vt ſunt illæ vſitatiores connectendi formulæ. Ad hæc, accedit his, huc pertinet, age vero. Et per hæc frequentiora capita variatur, cum ab vna re ad aliam ſimpliciter fit tranſitus, videlicet a pari, a diſpari, a ſimili, a contrario, a breuitate ab exclamatione, e. g. O inuictam animi fortitudinem, o fiduciam omnibus numeris abſolutam; facinus illud excogita, cum &c. Hic narrabimus facinus, in quo velimus fortitudinis partes elucere. Aliquando imprudenter fingimus ex vna in alteram orationis partem eſſe prolapſos

Contrapoſitum eſt rerum, & perſonarum contra-

trariarum inter ſe comparatio, & fit in ſingu-lis verbis, aut ſententijs e. g.

Hinc Cæſarem . . . . Illinc Tullium
contemplamini,
armorum illum | hunc verborum
principem:
illum belli, & imperij clauum,
hunc eloquentiæ principatum
tenentem.
Armatum Cæſarem | Ciceronem inermem
illum cædem | hunc vitam
Ligario pollicentem.
Immo
Quibus tectum armis
Illum gladij: | Iſtum linguæ
tutum præſidijs.

Deinde ex hac parte pudor pugnat, illinc pe-tulantia; hic pudicitia, illic ſcelus; hinc con-ſtantia, illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpi-tudo; hinc continentia, illinc libido.

Coabitatio eſt per quam copulantur ad affir-mandum contraria, vt ſi de Caligula turpiſſi-me vitam in peius permutante conclamare-mus. Quem virtus ex ſeruo imperatorem fecit, vitium ex imperatore in ſeruum transforma-uit; tranſit pietas in prauitatem, humilitas in ſuperbiam, ſanctitas in Deorum contemptum; gaudebat audiri dominus, & vitijs ſeruiebat:

ante

ante regnum ſceptro dignus, in regno iugum meritus, idem fortis, & ignauus, pius, & ſceleſtus; patriæ pater, & carnifex, cuſtos ciuium, & oppreſſor. *Huc pertinent etiam Repugnantia, & diſsimilia.* Ac ſi pie de puero Ieſu efferremus. Adoremus, & ſtupeamus è Virgine prolem, filium ſine patre, coniugem ſine coniuge, Virginem matrem, Monarcham famulum, ſubditum regem, hominem Deum.

Sermocinatio ſiue Dialogiſmus, eſt ficta perſonarum collocutio, ſiue ſolus vnus loquatur, ſiue plures inducantur ſimul colloquentes. exemplum non tantum apud Ciceronem orat. pro Comædo nobis eſt, in quo probat credibile non eſſe virum honeſtiſsimum [illegible] eſſe mentitum; ſed etiam paſsim, quod mittimus.

Deſcriptio eſt oratio adeo veritatem enucians, quæ rem ſignificandam ante oculos proponit, vt cerni potius, & coram geri videatur, quam narrari. Deſcribuntur autem perſonæ, tempora, loca, & alia. Perſonam Virgilius deſcribit in ſexto de Caronte.

. . . . . Hæc flumina ſeruat
Terribili ſqualore Charon, cui plurima mento
Canicies inculta iacet: ſtant lumina flamma,
Sordidus ex humero nodo dependet amictus.

In his deſcriptionibus quantum fieri poterit

a pri-

a primis ad vltima; hoc eſt a capite ad pedes deueniatur.

Negocia deſcribuntur, vt nauale bellum, pedeſtris pugna, & tunc incipiendum ab antecedentibus, deinde ab ijs, quæ in negocio ſunt, poſteaquæ ſunt inſecuta; ſic referri poſſet militum delectus, ſumptus præparati: tum ea, quæ audirentur a victoribus, a victis, a morientibus, a captiuis, a pueris, a matribus; neces, quæ videri in menibus in vijs, in templis, in foro; poſtea aggreſſiones, direptiones, victoriæ, & id genus.

Tempora vt æſtas, autumnus, in quibus attendemus quos effectus in vnaquaque mundi parte tempus producat, vt in herbis, in vallibus.

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis,
arboribuſque comæ. Hor. lib. 4. od. 7.

Procella ſi deſcribenda ſit, notabimus effectus in cælo, ex cuius parte nubes, grandines; tonitrua; in mare, ex quo fluctus, ſpumæ, ſonitus ventorum, & iactamenta mercium; & huiuſmodi exemplis libri poetarum ſunt felices. Loca deſcribuntur ex continentibus, ſeu adiacentibus, & in ipſis exiſtentibus. Virg. 1. Aen. fictum deſcribit Carthaginis portum.

Eſt in ſeceſſu longo locus, inſula portum
Efficit obiectu laterum; & ea quæ ſequuntur.

In alicuius ætatis deſcriptione poſſunt ea notari,

notari, quæ non ſunt in re, quam ſcribimus, tum ea, quæ eidem inſunt, vt in ætate ferrea dicimus, non fuiſſe prius tot ſcelera, tot ſupplicia, tot incommoda; ſed pacem innocentiam, ocium, rerum affluentiam. Deinde per diuerſas mundi partes, vt in cœlo fuiſſe benigna ſidera, fertilitatem in campis. Nunc omnia contra.

Frequentiſſime deſcribuntur vrbium ſitus, montes, campi, valles, litora, ceteraque apud poetas, & oratores.

Proſopopeia eſt fictio perſonæ, ſiue perſonarum ficta inductio, regina figurarum, ac domina, fit cum perſonis, & rebus, quæ loqui nequeunt ſermonem damus, vt Naturæ, Reip., patriæ. Varijs fit modis nam vel inanimatis orationem tribuimus, & ſic induceremus Europam honorifice obiurgantem principem aliquem, quod ſe audacter periculis immittat, vt. Non tibi tantum viuis, ſed mihi: conſule itaque vitæ, ſin tui cauſa, ſaltem mei; periculum eſt ſæpius iter mortis, quam immortalitatis. Vel mortuos ab inferis excitamus, & loquentes inducimus. Recludantur illi tumuli, aperiantur ſepulcra, iterum helluo ille quondam diues apud homines, ante pedes veſtros nunc adſit, nunc dicet infelix anima; Adeo paruis

volu.

voluptatum illecebris æterna mihi incendia paraui; adeo quibus delicijs immenſa mihi parauí ſupplicia.

Tropi x.

TRopus græce, latine autem Verſio eſt verbi aut ſermonis a propropria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio, quorum primus eſt.

Translatio, quæ græcorum vſurpato vocabulo Metaphora ſolet appellari, eſt verbi tranſlatio a propria ſignificatione in aliam valde ſimilem, ita ut capax ſit multiplicis eruditionis ad leuandum faſtidium narrationis plerumque notiſsimæ. Quando quidem omne id, quod eſt metaphora, fit rei alterius reſpectu. Apponendæ ſunt tabulæ ſequentes, vt facilior ſit inuentu.

Tabula vocum ſpectantium ad militiam.

Gladiatores	Arietare	Vallum
Athletæ	Diloricare	Munitio
Agoniſtæ	Caſtrametari	irruptio
Palæſtritæ	Digladiari	Sarcinæ
Emiſſarij	Propugnare	Acies
Speculatores	Authorare	Suppetiæ.

Spe.

Spectantium ad nauticam.

Nauarcus	Naufragari	Portus
Remiges	Turbinari	Rudentes
Vectores	Iactari	Tranſtra
Pyratæ	Fluctuare	Carbaſa
Cynoſura	Emergere	Procella
Oceanus	Egerere	Malacia.

Spectantium ad agriculturam.

Fodere	Iugum	Sulcus
Stercorari	Marra	Manipulus
Seminare	Lira	Aceruus
Fruticeſcere	Bura	Flagellum
Occare	Vomer	Ventilabrum
Metere	Occa	Palea.

Quibus, alijſque poſitis abſque negocio metaphoras expoliemus, ſi e.g. deducere velimus à re iudiciali, aut forenſi, citabimus aduerſarium ad conſcientię tribunal, aut prætorium. A re medica. Etiam nolenti patrię medicinam adhibebimus. A re nautica; Honori noſtro velificabimus. Ab architectonice. Vitæ gloriam illuſtri dignitatis faſtigio terminus. A venatoria. Aureis retibus beneficia expiſcabimus,

Ab

Ab agricultura. De ſeminario triumphorum laurearum metere non dubitabimus.

Plurimum nitoris habent metaphoræ, quando à rebus animatis ad res anima, ſenſuque carentes transferuntur, vt

Pontem indignatus Araxes. Aen. 8.

Suadentque cadentia ſidera ſomnos. Aen. 2.

Vocat iam carbaſus auras. Aen. 4.

Aſſumitur in metaphoris rei genus illius, cui intendimus eas applicare, quia ſub vno genere diuerſæ ſunt ſpecies, aliæ quæ nobiles, quæ laudant, & aliæ ignobiles, quæ vituperant: vt ſi laudare velimus Achillis magnanimitatem, in genere magnanimi ſunt Mars, aquilæ, leones; dices ergo leonem, aquilam, ſiue Martem græcorum magnanimorum Achillem extitiſſe: ſic Helenam appellare poſſemus propter pulcritudinem Argiuarum mulierum Venerem. Hic varij obſeruantur reſpectus, quos habet res aliqua ad aliquam, vt ſi per metaphoram ſit deſcribendus, conſiderandum eſt qualis accipi ſoleat mundus, cum quo Sol reſpectum habet. Alijs enim animal eſt, & ſic aſſeremus huius animalis immenſi cor, & oculum: alijs templum, & ſic magnificentiſſimi templi lampadem: ſi ad ſidera comparabimus, quæ alijs militia cœli ſunt; huius ille militiæ dux erit: & & quia alijs familia, Pater.

 Alle-

Allegoria, ſeu alieni loquium eſt oratio, quæ aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit; & dici poſſet continuata translatio, vt. Contrahæs vento nimium ſecundo Turgida vela, ex Hor. ideſt in rebus proſperis te contineas, & ne te eff.ras. Allegoria quotidianæ frequentius inſeruit orationi, quam deducere poterimus ab omnibus locis ijs, qui metaphoræ ſeruiunt, vt a nauigatione, a bello, cuiuſmodi ſunt illa. Secundis nauigare ventis; nanfragium facere; tradere ventis vela. item illa: Bellicum canere, verſis pugnare gladijs; conferre pedem; conſerere manum, & ſexcenta. item quæ ducuntur a rebus ſenſui familiaribus, vt quoties corporis geſtus ad animi rem tranſferuntur, vt. Premere pollicem, pro fauere; corrugare frontem, pro moleſte ferre, exporrigere frontem pro hilareſcere. Cauendum etiam in continuato ſermone, vt in quo genere translationem ceperimus, eo deſinamus; & ſi a tempeſtate initium ſumpſerimus, ne finiamus incendio, vel ruina. Quotieſcumque verbis vtimur partim proprijs, partim translatis, dicitur metaphora; quoties vtimur omnibus translatis, nulloque proprio, Allegoria, quoties ſimul omnibus translatis, ac ſimul proprijs omnibus, additis tamen particulis, Vti, veluti, quemadmodum; Comparatio.

Ironia

Ironia, ſeu Illuſio aliud verbis, aliud ſenſu per itriſionem, contrarium ſcilicet ab eo, quod loquimur oſtendit, vt ſi de mendaciſſimo quopiam verba facientes, dicamus. Audi e tripode dicta. Et Cicero da hominis ſceleratiſſimi morte hæc habet. Sed ſtulti ſumus, qui Africanum Pompeium, nos metipſos cum P. Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa. P. Clodij mortem æquo animo nemo ferre poteſt. Luget Senatus, mœret equeſter ordo, tota ciuitas confecta ſænio eſt, ſquallent municipia, afflictantur coloniæ, agri denique ipſi tam bæneficum, tam ſingularem, tam manſuetum ciuem deſiderant; *vt contrarium ſignificet*.

Antiphraſis, aut contrarius ſenſus eſt ſpecies ironiæ, in qua vnica dictio ponitur pro ſua contraria, vt ſi nanum Atlantem vocemus; ignauũ, Herculem, huius generis voces nonnullæ dicuntur, vt Parcæ a parcendo, & nemini parcunt, hinc Eumenides, Lucus.

Metonymia, ſeu Denominatio, aut tranſnominatio, eſt cum res vna per aliam quaſi cognatam, aut vicinam intelligitur. Ea fit quatuor modis.

1. *Cauſa ponitur pro effectu*.
2. *Effectus pro cauſa*.
3. *Subiectum pro re adiuncta*.

4. *Adiunctum pro re ſubiecta.*

Metonymia cauſæ duplex eſt, vna efficientis, altera materiæ. Efficientis eſt cum inuentor, præſes, ſcriptor pro rebus inuentis, aut ſcriptis ponitur, vt Ceres pro frumento, Bacchus pro vino, Muſæ pro litteris, Plato, aut Demoſthenes pro illorum ſcriptis.

Metonymia materiæ eſt cum materia ponitur pro re confecta ex tali materia, vt ferrum pro gladio, pinus pro naui, argentum pro argenteis vaſis, aut pecunia.

Metonymia effecti eſt cum ex effectis ſignificatur efficiens, vt pallida mors, pallentes morbi, triſtis ſenectus, audax iuuenta, præceps furor, inſolens, & ſuperba victoria. Non enim iſta ſunt per ſe talia, ſed tales effectus gignunt, quia mors reddit homines pallidos, ſenectus triſtes, iuuentus audaces.

Metonymia ſubiecti duplex eſt vna cum continens vſurpatur pro contento, vt. Bibere poculum pro liquore ex poculo. Ciuitas bene morata, pro ipſis ciuibus. Altera eſt cum poſſeſſor, aut dominus vſurpatur pro re poſſeſſa, vt ardet proximus Vcalegon, ideſt domus Vcalegontis; & filij te totum exedent, ideſt patrimonium, & res tuas. Huc pertinet cum Dux, aut Imperator ponitur pro ſuis militibus, vt Alexander totum orientem armis ſubegit.

Cæſar

Cæſar Galliam. Pompeius Aſiam perdomu. ideſt illorum claſſes, aut exercitus.

Metonymia adiuncti eſt cum res adiunctæ ponitur pro re ſubiecta, vt ſi hominibus probis, & improbis virtutum, & vitiorum nomina imponantur, vt quid de robore Samſonis, de Salomonis doctrina, de pulchritudine Abſalonis, Crœſi diuitijs, Alexandri liberalitate, iuſtitia Traiani, Demoſthenis eloquentia, & de Ciceronis erga patriam caritate non dicitur, ideſt de Traiano iuſto, Alexandro liberali &c. Huc ſpectat, cum res aliqua intelligitur per ſignum eius rei proprium, vt cum faſces vſurpantur pro magiſtratu, ſceptrum pro regno, Aquila pro Cæſarianis, Luna pro Turcis, Crux inclita pro nobis Chriſtianis.

Synecdoche, ſeu intellectio illa eſt, in qua totum ex parte, aut ex toto pars intelligitur, quod ſex modis accipitur. 1. Pars cum pro toto ſumitur, vt Puppis, aut carina pro tota naui. Tectum, aut paries pro tota domo. 2. Totum pro parte, vt Fons, & flumen pro aqua fontis, & fluminis. 3. Vnum pro pluribus, vt Romanus pro romanis, miles pro militibus, hoſtis pro hoſtibus. 4. Plura pro vno, vt Caſſios, & Antonios, pro vno Caſſio, vno Antonio. Vos, pro Tu; Nos, pro Ego. 5. Species pro genere, Iracundior Hadria pro qualibet tempeſtoſo

.re ; auſter, vel eurus pro quouis vento, 6. Genus pro ſpecie, vt Ales pro aquila, animal pro homine inurbano, quadrupes pro equo.

Antonomaſia eſt cum nomen aliquod alicui rei propter excellentiam tribuitur. Ea fit duobus modis. 1. Nomen appellatiuum loco proprij vſurpatur, vt Vrbs pro Roma, Philoſophus pro Platone, poeta pro Virgilio, Orator pro M. Tullio. 2. Nomen proprium pro appellatiuo, vt Crœſus pro homine fortunato, Craſſus pro diuite, Alexander, aut Cæſar pro ſtrenuo bellatore.

Periphraſis eſt cum aut neceſſitatis, aut honeſtatis aut etiam ornatus gratia pluribus verbis explicatur id, quod vno, vel paucioribus abſolui poterat ; vt Natale ſolum pro patria ; Romanæ conditor vrbis, pro Romulo ; qui ſummum Deorum tenet imperium, pro Ioue.

Onamotopæia ſeu fictio vocis, cum vox aliqua fingitur ob ſimilitudinem, quam habet cum ipſa re ſignificata, vt mugitus, nitritus pro ipſo ſono, quem boues, & equi edunt, quæ quidem cum ad res alias transferuntur figurata ſunt, & nonnulli ad metaphoras retulerunt. Huc itaque ſpectat ſonus ille vocum, qui in ſingulis nationibus probatur proprius, quoue delectantur, ſic Galli canunt, Germani vlulant, Hiſpani lamentantur, & flent, Itali contemplantur

tur

tur, pœni gemunt, & ſingultiunt; Aetiopes & Arabes balbutiunt, & clangunt.

Hyperbole, ſeu ſuperlatio, aut exceſſus, eſt cum aliqua ſententia fidem excedit augendi cauſa, vt. Cœlum territat armis, rumpit ſaxa clamore, anteit curſibus auras, affertur varijs modis: vel. 1. per denominationem, 2. vel per comparationem, 3. vel per ſimilitudinemem. 4. vel per Epitheton; & exempla ſunt. 1. Alter Ariſtarchus; & Noſter hic Phalaris. 2. Stentore clamoſior. 3. Velut leæna in machæra. 4. Neſtorea facundia.

Neque vero pigebit ceu fontes aliqot indicare, a quibus hoc loquendi genus hauriatur. Sumitur interdum *ab ipſa re*, quoties hominem ſceleſtum, ſcelus appellamus; dedecoroſum, dedecus; peſtilentem, peſtem: ſpurcum, cænum; impurum ſterquilinium; moleſtum, hulcus. Vnumquodque quorum per comparationem efferri poteſt, vt ipſa nequititia nequior, loquacitare loquacior, ſiti ſiticuloſior, ipſa infantia infantior; ad hanc claſſem pertinent illa, Pater eſuritionis, omnis eloquentiæ fons, pluſquam infantiſſimus, pluſquam perditus. Huic proxima ſunt, quæ a *rebus ſimillimis* trahuntur, idque inanimis, vt Pluma leuior, auro purior, oculis carior, item *ab animantibus*, vt Phoenice rarior, glyre ſomniculoſior, dama pauidior, aſello

aſello ſtolidior; *A perſonis Deorum*, Diana inta-ctio, Venere formoſior, Mercurio facundior, *A perſonis fabuloſis*, Atrĕ crudelior, Penelope caſtior, Icaro audacior, Dedalo ingenioſior. *A perſonis comœdiarum*. Thraione Terētiano glorioſior, Mitione facilior, Gnatone adulantior, Dauo verſutior. *A perſonis hiſtoriarum* Zoilo inuidentior, Catone ſeuerior, Numa religioſior, Ariſtide incorruptior. *A gentibus* Pœno perfidior, Scytha aſperior, Cretēnſi mendacior, Arabis ditior. *Ab officiis*, Milite glorioſior, tyranno violentior, carnifice immanior.

Videmus ergo, quod figuræ in oratione ſunt, quod in horto flores, in cœlo ſtellæ, in ore veneres, in collo torques, in digito annuli aurei, & in annulis gemmæ; in quibus adhibendis modus adſit, & meminerimus Iſocratem a Cicerone dictum fuiſſe Iſocratem, quia in orationibus nimias inculcabat ironias. Numerus periodorum pro aurium iudicio, & dicendorum qualitate moderandus eſt; peior tamen eſt affectata diligentia, quam ſimplex diligentia.

Rhetor autem debet parua ſubmiſſe, modica temperate, magna grauiter dicere; ſtylus enim in tria genera diuidendus eſt, nempe imum, medium, & ſummum. Imum eſt quod imitatur conſuetudinem familiariter dicendi, & planum eſt, & requirit ſolam munditiem, & ſer-

& ſermonis puritatem, vt oratio Ciceronis prô Cecinna. Medium eſt ſvberius, aliquantoque robuſtius, & admittit ſententiarum lumina, metaphoras, & ea, quæ magis faciunt ad ornatum, quam ad vim, vt Pro lege manilia. Summum lacertoſum, & militare dicitur, frequens eſt contentionibus, amplificationibus, & affectuum grauiorum concitationibus, habetque exclamationes, erotemata, proſopopęias, communicationes, qualis eſt cauſa Rabirij. Idex lectione Tullij ſenſim ſine ſenſu percipitur.

Occaſione nuptiarum dicuntur Epithalamia, Natalium Genethliaca, Victoriæ Epinicia, Funeris Epicedia, Euerſionis vrbium Threni, quæ ſub eodem regularum ordine comprehenduntur.

Memoria.

MEmoria eſt rerum inuentarum, ac verborum firma recordatio; cui ſubyciuntur tantum res præteritæ, qua ſi munitus non fuerit orator, magno ſui pudore in obliuionem veniet, quod euenit Demoſtheni, cum ante Philippi regis macedonum conſpectum orationē haberet. Theophraſto corā Athenienſibus.

Iuxta philoſophorum ſententias melius recordamur eorum, quæ primo mane memoriæ mandamus, quam reliquo diei tempore.

Me-

Memoriæ nocet omne nimium, omneque immoderatum, ita vt etiam in ſtudijs nimia aſſiduitas obſit, Marſilius Fic. lib. 1. de tuenda ſanitate multa hab t medicamenra, quæ ad memoriam pertinent. Sed exercitatio erit ars melior, multa excogitare, & diſcere potiſſimum. Hoc ſtudio Themiſtocles Athenienſis vnum intra annum perſice locutus optime fuit. Craſſus cognomento diues cum Aſię præeſſet quinque græci ſermonis differentias adeo, & breuiter tenuit; vt quæ quiſque apud eum lingua poſtulaſſet, eadem prorſus referret.

Pronunciatio.

P*Ronunciatio* eſt vocis, geſtuſque moderatio, cum venuſtate, cuius partes ſunt Vox, & Geſtus; vnum tenendum eſt, quod pronunciationi primas Demoſthenes expertus dabat. Hæc in vocis moderatione, oculorum vigore, vultu habitu, corporiſque geſtu totius conſiſtit. Quid enim aptius fidei faciendæ, quam recta pronunciatio? Marcus Callidius Gellium accuſauit (cauſam Cicerone tuente) cumque accuſator aſſereret ſe teſtibus, chirographis, comprobaturum fuiſſe ſibi venenum à reo præparatum, & atrox facinus vultu remiſſo, voce languida, ac reliquo corporis geſtu parum concitato pronunciauiſſet. An iſta, ſi vera eſſent,

in-

inquit Tullius; ſic ate dicerentur! Itaque Vir prudentiſſimus ex pronunciatione collegit, Callidium non ex animo locutum.

Vox.

NItatur orator, vt verba ſingula clare, atque diſtincte proferantur, & ea præcipue, quæ periodis faſtigium imponunt; neque vnius perpetuæ vocis vtatur tenore, quoniam ridetur cytharædus, corda qui ſemper oberrat eadem. Vox mentis interpres eſt; & hac de cauſa dicitur natura prius intus formare nos ad omnem fortunarum habitum, deinde animi motum efferre interprete lingua. Ceteros flere ſi velimus, dolendum eſt primum nobis ipſis, & tunc noſtra infortunia lædent auditorum animos. Sed ſi male memoriæ mandata loquemur, aut dormitabunt, aut ridebunt. Verba mitia mœſto vultui conueniunt, iratominarum plena, ludenti laſciua, ſeuero ſeria dictu. Sic nobis ridentibus rident, & flentibus adſunt humani vultus.

Geſtus.

CVm in geſtu muta quædam eloquentia reſpondeat, ſtudeat orator, vt Vox, & Geſtus ſimul conueniant. nam dum mouendæ, monendæ ſunt etiam manus, ne accidat, quod Hi-

ſtrioni

ſtrioni in Olympicis, qui; *O Iuppiter!* clamauit oſtenſa terra, *O Terra!* manu in cælum eleuata, quod erratum adeo prouocauit Polemonem ſophiſtam, vt eum præmijs abdicaret.

Corporis ſtatus ſit rectus, & celſus. Caput in actione non deflexum, neque ſolo capite geſtum faciamus. Manus, quæ in actione linguæ finguntur officio, prout res exigat mouebſitur; Palmas complodere, & ferire pectus femineum eſt. In geſtu faciendo nunquam ſola dextra vtamur, ſed accommodabimus dextræ, præſertim ſi numini diuino preces fuerint adhibendæ, & auditores ad miſericordiam flectendi. Geſtus paucitate commendantur, & in primis verbis geſtuoſas habere manus non decet, ſed cum paululiſper locuti fuerimus, ſenſibus, & voce paulatim incaleſcemus. Caueat Orator, ne ex auditoribus aliquem notet indice, vel geſtu inter odioſa verba. Non enim laudatus fuit Diphilus tragædus. Qui in Apollinaribus ludis cum inter actum ad eum verſum veniſſet, *Miſeria noſtra magnus es* in magnum Pope um manibus directis pronuuciauit, qui tunc loco laudis, id odij mox reportauit, quod inexpectatum ſummæ temeritati debebatur. Et hæc ad Dei Opt. Max. cultũ, & venerationem diligentiſſime ſint de Arte oratoria collata.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

13
Digitized by